DE FORMA PROMISSIONIS ET CELEBRATIONIS MATRIMONII

AUCTORE

LUDOVICO WOUTERS, C. SS. R.

THEOLOGIAE MORALIS ET PASTORALIS PROFESSORE.

EDITIO QUINTA,

AD CODICEM IURIS CANONICI ACCOMMODATA.

BUSSUM (IN HOLLANDIA).

PAUL BRAND, EDITOR PONTIFICIUS.

1919.

DE FORMA PROMISSIONIS ET CELEBRATIONIS MATRIMONII

AUCTORE

LUDOVICO WOUTERS, C. SS. R.

THEOLOGIAE MORALIS ET PASTORALIS PROFESSORE.

EDITIO QUINTA,

AD CODICEM IURIS CANONICI ACCOMMODATA.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

BUSSUM (IN HOLLANDIA).

PAUL BRAND, EDITOR PONTIFICIUS.

1919.

IMPRIMATUR.

AMSTELODAMI, 17 Oct. 1918.

A. BEUKERS, C. SS. R.
Sup. Prov.

NIHIL OBSTAT. — A. HERMUS, *Libr. Cens.*
EVULGETUR. — J. POMPEN, *Vic. Gen.*
BUSCODUCI, 28 Oct. 1918.

INDEX ANALYTICUS.

PAG.

PRAEFATIO 1

CAP. I. De forma promissionis matrimonii 3

CAP. II. De forma celebrationis matrimonii 14

ART. I. De forma iuridica 14

§ I. De forma iuridica summatim spectata . 14

§ II. De requisitis, ut parochus et loci Ordinarius valide assistant 17

§ III. De licentia alii concessa valide assistendi 20

§ IV. De requisitis, ut parochus et loci Ordinarius licite assistant 25

§ V. De forma iuridica extraordinaria . . 37

SCHOL. De lege civili Neerlandica . . 43

§ VI. De iis, qui ad formam iuridicam tenentur 46

SCHOL. De matrimoniis in Imperio Germanico et in Regno Hungarico . 49

ART. II. De forma liturgica 54

§ I. De ritu celebrationis 54

§ II. De ritu benedictionis seu de benedictione nuptiarum sollemni 55

ART. III. De forma celebrationis matrimonii inter partem catholicam et partem acatholicam . . . 60

SCHOL. De tempore et loco celebrationis matrimonii 63

ART. IV. De matrimoniis inscribendis 63

APPEND. De ratione, qua forma matrimonii, ante decretum *Ne temere* statuta, in Neerlandia eiusque Coloniis vigebat. 69

5492

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deformapromissio0000ludo

PRAEFATIO AD EDITIONEM QUINTAM.

Triplex praesertim quoad formam sponsalium et matrimonii ius positivum distingui potest, scilicet Tridentinum, Pianum et Benedictinum.

Concilium Tridentinum ius antiquum circa sponsalia immutatum reliquit, ita ut illa sine solemnitate inita tam valida quam licita essent. Quoad matrimonia vero dictum Concilium statuit, ea invalida esse, si contraherentur sine praesentia parochi vel Ordinarii proprii et duorum saltem testium (Sess. XXIV, de ref. matrim. cap. 1).

Die 2 Aug. 1907 S. C. C. Decretum condidit, quod *Ne temere* dicitur, quodque de mandato speciali Pii X promulgatum, novum quoad sponsalia et matrimonium ius introduxit, atque inde a die 19 April. 1908 vigere incepit.

Porro finis, quem sapientissimus Pontifex sibi in nova ferenda lege praefixit, triplex erat. Atque primum quidem Decretum editum est, ut ad mentem Concilii Tridentini matrimonia clandestina efficacius praecaverentur. „Ne temere, ita Decretum, inirentur clandestina coniugia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium, *cap. 1, sess. XXIV, de reform. matrim.* edicens: Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit. Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset, ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum, accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio Tridentinae legis caruerint, hodieque careant, et haesitatio-

nibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant". [1])

Alter Decreti finis erat, ut valori matrimoniorum magis atque facilius provideretur. „Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit aut quasi-domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est indicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent; multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt". [2])

Postremo eo fine lex Piana lata est, ut gravissima incommoda e sponsalibus clandestinis oriunda praecaverentur. „Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europae plerisque, tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus, idest mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles". [3])

Die 27 Maii 1917 Benedictus XV novum codicem Iuris Canonici promulgavit, inde a die Pentecostes 1918 valiturum; qui quidem codex ius Pianum quoad pleraque intactum liquit, quoad quaedam vero immutavit, ut ex nova hac editione ad novum ius accomodata palam fiet.

WITTEMII, die 10 Sept. 1918.

AUCTOR.

---

[1]) Decr. *Ne temere.*
[2]) Decr. *Ne temere.*
[3]) Decr. *Ne temere.*

DE FORMA PROMISSIONIS ET CELEBRATIONIS MATRIMONII. [1])

CAPUT I.

De forma promissionis matrimonii.

Canon 1017.

§ 1. *Matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinarii, vel a duobus saltem testibus.*

§ 2. *Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in § 1, scripturam subsignet.*

§ 3. *At ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si quae debeatur.*

Prae oculis habito canone citato, exponemus primum formam promissionis matrimonii, deinde necessitatem formae statutae, tum effectus promissionis secundum formam factae, denique subiectum formae et solutionem promissionis. Post-

[1]) Frequentius citantur: *Wernz*, Ius matrimoniale [2], 1912; *Van de Burgt-Schaepman*, Tractatus de matrimonio [3], 1908; *Vlaming*, Praelectiones de iure matrimonii, 1897-1912; *Gennari*, Breve commento della nuova legge sugli sponsali et sul matrimonio [7], 1910; *Boudinhon*, Le mariage et les fiançailles [8], 1908; *Choupin*, Les fiançailles et le mariage [2], 1911; *Knecht*, Die neuen eherechtlichen Dekrete „Ne temere" und „Provida", 1907; *Leitner*, Die Verlobungs- und Eheschliessungsform nach „Ne temere" [5], 1908; *Vermeersch*, De forma sponsalium et matrimonii [5], 1912; *Van den Acker*, Decreti „Ne temere" interpretatio [2], 1915; *Schaepman*, Codex en huwelijksrecht, 1918.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

remo diversas subiungemus formulas, quae sponsalibus rite contrahendis poterunt inservire.

I. **Forma promissionis matrimonii.** Ad formam legitimam promissionis matrimonii requiritur: 1⁰ ut contrahatur per scripturam; 2⁰ ut apponantur dies mensis et annus contractus initi; 3⁰ ut scriptura debite subsignetur.

1. *Contrahatur per scripturam*, a. v. alterutra vel utraque pars debet scripto alteri promittere matrimonium. Quodsi promissio fiat sub conditione, item si tempus addatur ad finiendam obligationem, ea neccessario exprimenda videntur; ista enim ita immutant promissionem, ut haec, iis omissis, non designetur secundum substantialia. Etiam aliae stipulationes alicuius momenti utiliter exprimuntur. Ceterum non requiritur, ut ipsae partes scripturam conficiant; nec quidquam prohibet, quominus ad communem contrahentium usum determinata formula typis imprimatur, aut lithographice aliave ratione conficiatur. [1]) Subsignatio tamen fiat prout mox exponetur.

2. *Apponantur dies, mensis et annus, quibus sponsalia ineuntur.* [2]) Appositio datae *falsae* valori contractus obstat: quandoquidem in casu data re vera non apponitur. Aliqui [3]) tamen, innixi analogia iuris civilis, sponsalia valide esse censent, si falsae datae adscriptio ex errore involuntario orta est, et vera data ex contextu erui potest.

Pariter dubitatur, utrum necne etiam appositio *loci, in quo promissio fit*, ad valorem requiratur. Pro sententia affirmante militat primum, quod consuetudo subscriptionem datae ita interpretatur, ut etiam locus apponatur. Deinde ubi agitur de sponsalibus subsignatis a parocho vel ab Ordinario, appositio loci summopere conducit ad documentum, quod valorem sponsalium possit firmiter probare; siquidem ut praedicti valide subsignent, requiritur, ut id peragant in loco *territorii sui.* Quod S. C. Conc., quum datam addendam esse respon-

---

[1]) *Knecht*, p. 52: *Leitner*, p. 22.

[2]) S. C. C. 27 Iul. 1908, ad II. Hoc et similia responsa fuere merae explicationes iuris antea exsistentis atque in Codicem inserti; hinc censemus, ea persistere, spectato can. 6, 2°, vel saltem can. 23.

[3]) *Vermeersch*, n. 30ter.

dit, de appositione loci tacuit, id forte explicatur ex eo, quod de ea interrogata non fuit. Quum res dubia sit, appositio loci practice non omittatur.

3. *Scriptura debite subsignetur.* Quocirca observes:

a) Scriptura per se subsignari debet aut a partibus una cum parocho vel loci Ordinario, aut a partibus una cum duobus testibus.

Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura annotetur et alius testis adhibeatur, qui aut ut testis secundus parocho vel Ordinario, aut ut testis tertius aliis testibus adiungatur. Non requiritur neque sufficit, ut pars, quae scribere nesciat vel nequeat, pro nomine et cognomine signum apponat. — Scribere nescit, qui litteras ignorat; scribere nequit, qui physice a scribendo impeditur. Qui aliena manu ductus nomen apponit, videtur valide subsignare, si iuvatur tantum, ita ut ipsemet causa principalis exsistat. Si quis autem mero instrumento similis est, puta quia methodum scribendi nullatenus edoctus est vel manum perfecta paralysi laborantem habet, is invalide nomen apponit. Pariter invalide subsignat, qui utitur machina scribendi; hic enim imprimere potius quam scribere dici debet. Accedit quod ea ratio subsignandi omni signo authenticitatis destituta est. Ob easdem rationes invalide subsignat, qui adhibet instrumentum, quod nomen ad similitudinem characteris insculptum refert. — Sufficit, ut *unus* testis addatur, sive utraque sive alterutra pars scribere nescit vel nequit; quandoquidem lex solummodo de *alio teste* addendo dicit. Pars, quae sola scribere potest, videtur non teneri ad subsignandum: sensus enim obvius legis satis insinuat, sufficere subsignationem parochi (vel duorum testium) et testis additi. Attamen ob aliquale dubium expedit partem tutiorem sequi. Ceterum notes quoad eos, qui scripturam subsignant:

α) *Parochi* nomine veniunt: 1° *Sacerdos, cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda* (can. 451, § 1); 2° *vicarius paroecialis actualis,* qui vices supplet personae moralis, cui cura habitualis incumbit (cfr. can. 471); 3° *quasi-parochi,* qui quasi-

paroecias regunt [1]); 4° *vicarii paroeciales*, si plena potestate paroeciali sint praediti [2]); 5° *cappellani militum* sive maiores sive minores quatenus parochis aequiparentur, ex peculiaribus Sanctae Sedis praescriptis eruatur (can. 451, § 2 et 3).

β) *Ordinarii loci* nomine in iure veniunt, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine (can. 198).

γ) Tanquam *testes* adhiberi possunt quicumque, spectato iure naturae, testimonii ferendi capaces sunt. [3]) Hinc non excipiuntur infideles, haeretici, feminae, impuberes, quamvis, ubi catholici haberi possint, haereticos vel infideles adhiberi non conveniat. Patet, etiam parochum et Ordinarium tanquam testes communes posse assumi.

b) Parochus vel loci Ordinarius ut testis auctorizabilis assumptus tenetur scripturam subsignare *intra proprium territorium*. Verum id etiam sufficit. Itaque non requiritur, ut parochus vel Ordinarius, qui adhibetur, sit alterutrius contrahentis *proprius*, puta ratione domicilii; sed requiritur et

---

[1]) Partes vicariatus apostolici, ac praefecturae apostolicae, si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus, appellantur *quasi-paroeciae* (can. 216, § 3),

[2]) Scilicet: 1° *vicarius substitutus* in omnibus locum tenens parochi absentis ultra hebdomadam, ab Ordinario probandus (can. 465, § 4; can. 474); 2° *sacerdos supplens* in omnibus vicem praestans parochi repentinâ et gravi de causa discedentis ultra hebdomadam (can. 465, § 5; can. 474); non autem sacerdos supplens parochi ad brevius tempus discedentis; 3° *sacerdos supplens* ab Ordinario designatus et in omnibus vices exercens parochi ex sententia beneficio privandi, sed S. Sedem adeuntis (can. 474; can. 1923, § 2); 4° *vicarius oeconomus*, scil. vacante paroecia, constitutus, olim *deservitor* dictus (can. 472, 1°); 5° *vicarius cooperator* (primus aut munere antiquior) vel *parochus vicinior*, item domus Superior, qui ante oeconomi institutionem paroeciae regimen, nisi aliter provisum fuerit, interim assumit (can. 472, 2°); 6° *vicarius adiutor* ab Ordinario loci constitutus, qui in omnibus parochi muniis rite obeundis imparis vicem supplet (can. 475; cfr. *Schaepman* in Ned. Kath. Stemmen, 1918, p. 129). *Vicarius cooperator* (de quo can. 476) per se non venit nomine parochi, quamvis generali delegatione gaudeat. Nam ut ex ipsis terminis patet, destitutus est potestate parocho propria, i. e. ordinaria, et solam habet delegatam.

[3]) Cfr. S. C. de Sacr. 12 Mart. 1910, ad IV.

sufficit tam ad valorem quam ad liceitatem, ut sit parochus vel Ordinarius *loci*, in quo contractum subsignat. [1]) Praeterea observes:

α) *Parochi, qui cum alio vel cum aliis parochis territorium habent commune* — quamvis non pro omnibus incolis, sed pro determinato personarum coetu tantum, puta pro *Germanis*, constituti sint — intra territorium, quod ipsis cum aliis commune est, *omnium* incolarum promissiones matrimoniales valide subsignant, eorumdemque matrimoniis valide assistunt. [2])

β) *Qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habent,* possunt in toto territorio alieno *subditorum*, non autem aliorum, promissiones matrimoniales subsignare et matrimoniis interesse. [3]) Haec autem potestas ipsis cumulativa esse videtur cum parocho loci; quod deducitur ex eo quod in casu, quo plures parochi commune territorium habent, unus etiam pro alterius subditis competens est. Attamen ob specialia adiuncta exceptio statuta est pro locis Indiarum Orientalium, in quibus duplex viget iurisdictio. [4]) Scilicet degentes in praedictis locis „ut validum et licitum ineant matrimonium, tenentur se sistere dumtaxat coram parocho personali". [5])

γ) *Cappellani vel rectores piorum cuiusvis generis locorum a parochiali cura exemptorum,* modo plena potestas parochialis ipsis commissa sit, parochis accensentur, sed pro personis ipsis concreditis et in loco, cui praesunt, tantum. [6]) Potestas autem rectori exclusive competit, si locus omnino exemptus est; secus cumulativa est cum parocho loci (cfr. can. 464, § 2).

---

[1]) S. C. C. 28 Mart. 1908, ad VII.
[2]) S. C. C. 1 Febr. 1908, ad VIII.
[3]) S. C. C. 1 Febr. 1908, ad IX.
[4]) In Indiis Orientalibus „nonnulli Episcopi praeter communem suam iurisdictionem in propria dioecesi, iurisdictionem personalem exercent in quasdem personas, puta determinatae nationalitatis vel determinati ritus, in aliena dioecesi commorantes; et idem obtinet cum parochis respectu quorumdam fidelium extra fines propriae parochiae degentium" (*De Smet*, in Coll. Brug. 1910, p. 439).
[5]) S. C. de Sacr. 2 Iun. 1910.
[6]) S. C. C. 1 Febr. 1908, ad X.

δ) *Parochus putativus*, supplente Ecclesia, valide promissioni matrimonii interest, si communiter pro parocho habetur (can. 209).

ε) Parochus nondum adeptus possessionem beneficii potest, ut videtur, valide subsignare promissionem matrimonii; siquidem lex, ubi de ea dicit, de eiusmodi requisito sermonem non facit, atque solum requirit, ut quis sit parochus. Idem ob eamdem rationem dicendum videtur de parocho per sententiam excommunicato vel interdicto vel suspenso ab officio vel tali declarato. [1])

ζ) Parochus et Ordinarius loci nequeunt alteri, puta vicario vel secretario, facultatem facere, ut tanquam testis auctorizabilis promissionem matrimonii subsignet [2])

c) Partes tenentur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario, aut cum duobus testibus; [3]) a. v. requiritur, ut singuli omnibus aliis subsignantibus praesentes sint.

Ut fert consuetudo in contractibus civilibus, ita etiam expedit, contractum sponsalitium alta voce legi, antequam subsignetur. Pariter iuvat, documentum quod contractum continet, asservari apud parochum vel Ordinarium loci, qui illud subsignaverit, utrique tamen parti tradi exemplar.

Coroll. Quum partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho aut loci Ordinario vel cum duobus testibus, sponsalia inter absentes contrahi nequeunt nisi per procuratorem. Ea per procuratorem posse iniri, sequitur ex eo quod secus non foret provisum sponsalibus contrahendis ab eis, qui inter se congredi nequeunt. Deinde nisi contrarium statuatur, censendum est quoad contractus persistere facultatem per alium faciendi quod quis per se facere potest. Ad *modum* vero adhibendi procuratoris quod attinet expedit servare, quae can. 1089 statuit quoad matrimonia per procuratorem contrahenda. [4])

---

[1]) Cfr. *Wernz*, n. 176, nota 171 et n. 180, p. 268.
[2]) S. C. C. 28 Mart. 1908, ad VI.
[3]) S. C. 27 Iul. 1908, ad I; cfr. dicta p. 4, nota 2.
[4]) Ut matrimonium, ita can. cit. per procuratorem valide ineatur, requiritur mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo

II. **Necessitas formae statutae.**

1. Promissio matrimonii, tam bilateralis seu sponsalitia quam unilateralis, facta sine forma statuta pro utroque foro irrita seu invalida est (can. 1017, § 1). [1]) Attamen promissiones matrimonii ante formam statutam sine ea factae validae remanent, quamvis ex eis non detur actio ad petendam matrimonii celebrationem, sed tantum ad reparationem damnorum, si quae debeatur. [2])

Itaque promissiones informes factae post formam statutam, utpote omnino irritae, per se nullam obligationem neque iustitiae neque fidelitatis inducunt. Dixi *per se;* quandoquidem negari nequit, per accidens ex promissione informi obligationem posse enasci. Ita v.g. teneretur ad damnum restituendum, qui dolose iniret sponsalia cum persona legis irritantis ignara, atque ita agendo causa foret, cur altera pars damnum pateretur. Pariter restitutionis obligatione obstringeretur, qui dolose copulam haberet cum desponsata censente, sponsalia privata a se inita esse valida. Denique qui post sponsalia informia inita nollet amplius matrimonium inire, teneretur monere alteram partem, quae expensa pro futuro matrimonio factura esse praevideretur, etc. [3])

Quaer. I. Quid efficit *iuramentum* adiectum matrimonii promissioni informi, sive bilaterali sive unilaterali?

---

mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus. — Si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est. — Si, antequam procurator nomine mandantis contradixerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint. — Ut matrimonium validum sit, procurator debet munere suo per se ipse fungi.

[1]) Itaque abrogatae remanent dispositiones, iam a iure Piano abrogatae, scilicet: 1° dispositio Bonifacii VIII in cap. unic. *de despons. impuberum*, vi cuius valida praesumebantur sponsalia, quae pater aut mater pro filiis contraxerant, modo filii, si contractui sponsalitio praesentes essent, huic non contradixissent; si autem absentes essent, sponsalia contracta postea signo aliquo rata habuissent; 2° dispositiones, quibus matrimonium impuberum, quod ob impedimentum aetatis invalidum erat, item copula inter nubiles admissa aliquando praesumebantur induxisse sponsalia; 3° ius speciale, quod in Hispania atque in America Latina vigebat, atque ad valorem sponsalium requirebat scripturam publicam a notario subsignatam (S. C. de Sacr. 12 Mart. 1910, ad VII).

[2]) Pont. Comm. a. c. i. 2-3 Iun. 1918, IV, 6.

3) *S. Alfonsus,* Theol. mor. VI, 833.

Resp. Eiusmodi iuramentum invalidum est, quia accessorium sequitur principale (can. 1318, § 1). Excipiendum videtur, si iurantes expresse intenderent se obligare independenter ab obligatione promissionis.

Quaer. II. An etiam invalida est promissio informis *sponsalium?*

Resp. Negandum esse censemus, quia lex de sola promissione matrimonii dicit; cuius argumenti vis augetur ex eo quod lex irritans stricte interpretanda est (cfr. can. 19).

2. Quamvis promissio matrimonii informis invalida sit, tamen non videtur illicita. Etenim finis legislatoris satis obtinetur sola irritatione promissionis informis, quin prohibitio accedat. Adde, legem quae non solum irritaret, verum etiam prohiberet promissiones informes, innumeris atque continuis transgressionibus ansam praebere, ideoque ad bonum commune non conducere.

III. **Effectus promissionis matrimonialis secundum formam factae.**

1. *Effectus promissionis bilateralis seu sponsalitiae.* Ex sponsalibus iam non oritur impedimentum dirimens matrimonium cum persona, comparti consanguinea in primo gradu (cfr. can. 1067—1080). Neque ex eis datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si quae debeatur (can. 1017, § 3). Haec actio est mixti fori; [1]) et non suspendit matrimonii celebrationem cum alio. [2])

Quod ex sponsalibus non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem non impedit, quominus effectus naturales promissionis sponsalitiae persistant; qui quidem sunt: 1^0 obligatio ineundi matrimonium; 2^0 inhabilitas valide contrahendi sponsalia cum tertio; 3^0 inhabilitas licite contrahendi matrimonium cum tertio; 4^0 obligatio agendi sponsalitiam conversationem cum sponso vel sponsa; 5^0 obligatio evitandi conversationem sponsalitiam, magis etiam actus luxuriosos cum alio. [3])

[1]) Pont. Comm. a. c. i. 2-3 Iun. 1918, IV, 1; cfr. tamen art. 113 cod. civ. Neerl.

[2]) Pont. Comm. a. c. i. 2-3 Iun. 1918, IV, 2.

[3]) Disputatur, num concubitus cum tertia persona per se induat

2. *Effectus promissionis unilateralis.* Promissio matrimonii unilateralis praesumitur induxisse obligationem gravem iustitiae. Eiusmodo enim obligatio censetur suscepta, si — ut supponimus locum habuisse — promissioni adduntur testes vel scriptura publica. Ceterum etiam de promissione unilaterali valent haec can. 1017, § 3: Non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si quae debeatur; quae quidem actio, ut diximus de promissione sponsalitia (p. 10), est mixti fori et non suspendit matrimonii celebrationem cum alio.

IV. **Subiecti formae.** Forma promissionis matrimonii tenentur omnes baptizati [1]), tam catholici quam haeretici et schismatici. Verum quidem est, posteriores, i. e. schismaticos et haereticos a lege Piana, etiam quatenus sponsalia respiceret, immunes fuisse; sed illam immunitatem persistere, nullibi innuit Codex. Verum etiam est, haereticos et schismaticos secundum plures pluribus legibus ecclesiasticis non teneri [2]); at hanc immunitatem solum extendunt ad leges, quae proxime ad animarum sanctificationem potius quam ad ordinem publicum spectant. Denique specialis ratio, quae pro exemptione a forma celebrationis matrimonii valet — scilicet concubinatus praecavendi — hic urgeri nequit.

V. **Solutio promissionis matrimonialis.** Promissio matrimonii tam unilateralis quam bilateralis solvitur eodem modo, quo antea. Attamen dispositio, qua impuberes, etiam invita altera parte, post adeptam pubertatem intra triduum a cognita dispositione resilire valebant a sponsalibus, in impubertate initis, dispositio illa, inquam, abrogata videtur. Etenim,

---

rationem *iniustitiae eiusque gravis.* Porro cum S. Alfonso (VI, 847) ratio iniustitiae saltem gravis satis probabiliter negatur, quia argumentum adversariorum rem nullatenus evincit. Argumentantur ex eo quod fornicatio rem promissam, i. e. corpus, in ordine ad matrimonium notabiliter deterius reddit. Sed primum merito in dubium vocatur id, quod adversarii supponunt, scil. per sponsalia induci obligationem iustitiae tradendi corpus *tale quale erat tempore promissionis.* Id si de alia promissione agatur, aliquando ex adiunctis patebit; verum in casu res dubia videtur. Deinde nequaquam *patet*, corpus per concubitum reddi *notabiliter deterius in ordine ad matrimonium.*

[1]) Excipe membra Ecclesiae Orientalis (can. 1).

[2]) Abstrahimus a quaestione, utrum necne haec sententia satis fundata sit.

spectato can. 6, 6⁰ abolita est lex (universalis), quae non continetur in Codice. Atqui dicta dispositio videtur fuisse lex (universalis) potius quam privilegium proprie dictum, atque in Codice non reperitur. Videtur autem fuisse lex potius quam verum privilegium, quia in ipso iure continebatur, a. v. quia erat secundum ius; non autem contra vel praeter ius, quod est de ratione privilegii proprie dicti. [1]) Praeterea notes, promissionem matrimonii per amissionem instrumenti scripti non dissolvi. Casu quo amissum fuerit, defectus eius pro foro externo suppletur legitime probando, promissionem rite locum habuisse. Ex altera parte ad promissionis solutionem non requiritur, ut instrumentum scriptum dilaceretur, quamvis illud post solutionem fieri expediat. Praeterea ut promissio in foro externo pro soluta habeatur, eius solutio debet legitime probari.

Casus. Parochus N. tempore feriarum ab amico suo, qui est in Seminario Maiori professor, invisitur. Qua occasione data, propositum sumit ad tres quatuorve dies discedendi. Itaque amicum rogat, ut paroeciae suae providere velit, atque iter aggrediens dicit: „*Integram* meam paroeciam tibi committo." Postero die Titius et Anna domum parochi adeunt rogantque professorem, ut una cum ipsis sponsalia subsignare velit. Professor paululum haesitat, at mox omne dubium excutit fixaque manu nomen apponit.

Quaeritur, num professor valide subsignaverit sponsalia.

Solutio. Negari debet; siquidem dictus professor, spectatis expositis, nequit accenseri iis, quos parochis aequiparari diximus (p. 6, nota 2, 2⁰).

FORMULAE SPONSALIUM.

I.

Sponsalia subsignata a contrahentibus et parocho.

Iacobus . . . filius . . . et . . . natus die . : . mensis . . . anni . . . et habitans in . . . et Anna . . . filia . . . et . . . nata die . . .

---

[1]) Cfr. *Wernz.* Ius Decret.² I, n. 58.

mensis . . . anni . . . et habitans in . . . hisce litteris sponsalia contrahunt.

Romae, die . . . mensis . . . anni. . .

Subsignatio sponsi
Subsignatio sponsae
Subsignatio parochi.

II.

Sponsalia subsignata a contrahentibus et duobus testibus.

Iacobus . . . filius . . . et . . . natus die . . . mensis . . . anni . . . et habitans in . . . et Anna . . . filia . . . et . . . nata die . . . mensis . . . anni . . . et habitans in . . . hisce litteris sponsalia contrahunt.

Romae, die . . . mensis . . . anni. . .

Subsignatio sponsi
Subsignatio sponsae
Subsignatio primi testis
Subsignatio alterius testis.

III.

Sponsalia subsignata a parocho et teste.

Iacobus . . . filius . . . et . . . natus die . . . mensis . . . anni . . . et habitans in . . . et Anna . . . filia . . . et . . . nata die . . . mensis . . . anni . . . et habitans in . . . hisce litteris sponsalia contrahunt. Contrahentes (unus e contrahentibus, N.N.) scribere nequeunt. Hinc tanquam testis assumptus est N.N. filius. . .

Romae, die . . . mensis . . . anni. . .

(Subsignatio partis, quae scribere potest).
Subsignatio parochi.
Subsignatio testis assumpti.

IV.

Sponsalia subsignata a tribus testibus.

Iacobus . . . filius . . . et . . . natus die . . . mensis . . . anni . . . et habitans in . . . et Anna . . . filia . . . et . . . nata die . . . mensis . . . anni . . . et habitans in . . . hisce litteris sponsalia contrahunt. Contrahentes (unus e contrahentibus, N.N.)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

scribere nequeunt. Hinc tanquam tertius testis assumptus est, NN. filius...

Romae, die... mensis... anni...

(Subsignatio partis, quae scribere potest).
Subsignatio primi testis
Subsignatio secundi testis
Subsignatio tertii testis.

CAPUT II.

De forma celebrationis matrimonii.

ARTICULUS I.

De forma iuridica.

§ 1 — DE FORMA IURIDICA SUMMATIM SPECTATA.

Canon 1094.

Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098, 1099.

Canon citatus statuit formam ad matrimonii valorem requisitam. Porro, salvis exceptionibus postea exponendis, forma iuridica celebrationis matrimonii est, ut contrahatur coram parocho (loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato) et duobus saltem testibus. Praesentia autem parochi (loci Ordinarii vel delegati) et testium debet esse simultanea, physica et moralis.

I. *Contrahatur coram parocho, loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato.* Quinam veniant nomine parochi et Ordinarii, expositum est. De delegato § IV sermo erit.

II. *Contrahatur praeterea coram duobus saltem testibus.* Itaque praeter testem qualificatum adsint testes saltem duo. Quoad qualitates testium nihil a novo iure immutatum est. [1]) Hinc:

1. Quod spectat ad valorem tanquam testes assumi pos-

[1]) S. C. de Sacr. 12 Mart. 1910, ad IV.

sunt personae qualescumque, modo actu rationis usu gaudeant et testandi capaces sint. Haeretici, excommunicati et infames non adhibentur licite. Speciatim quoad haereticos S. Off. [1]) declaravit, „eos non esse adhibendos; posse tamen ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum."

2. Neque ad valorem, neque per se ad liceitatem requiritur, ut testes designati de matrimonio contrahendo praemoniti vel rogati sint. Practice tamen ante matrimonium determinentur et rogentur, quia post nuptias initas eorum nomina a parocho describenda sunt. [2]) Quod testes coacti sunt, non officit valori.

3. Controvertitur, utrum testes *formaliter* assumendi sint, a. v. utrum contrahentes debeant eos *ut tales* adhibere, vel saltem conscii eorum praesentiae contrahere, an sufficiat, ut testes possint de contracto matrimonio testari.

Pro sententia, quae requirit, ut testes formaliter adhibeantur, allegatur S. C. C. [3]) Alteri autem sententiae favet tam textus legis, quae solum requirit, ut matrimonium coram testibus contrahatur, quam finis eius qui est, ut testes contractum matrimonium testificari possint; qui quidem finis etiam per testes, qui non sunt formaliter adhibiti, obtinetur. Accedit, quod S. C. de Prop. Fide [4]) ad quaestionem: — „Utrum post promulgationem Decreti Tridentini, quando ob persecutionem, vel ob alias rationabiles causas non est christianis facilis aditus ad missionarium, proindeque matrimonium ii contrahunt secundum morem patriae coram parentibus, cognatis et propinquis utriusque coniugis, qui celebrationi matrimonii assistunt, non rogatis testibus determinatis, neque formaliter adhibitis, qui de matrimoniali illo contractu, si opus fuerit, fidem facere possint, cum aliunde sint plures, qui licet nec rogati, nec formaliter adhibiti fuerint, de matrimonio tamen more patriae inito, et de consensu utriusque coniugis, si non verbis, signis saltem sensibilibus expresso,

---

[1]) 19 Aug. 1891, C. P. F. n. 1765.
[2]) Cfr. art. IV.
[3]) Cfr. Bened. XIV, de Syn. XIV, 23, n. 1 et 5.
[4]) 2 Iul. 1827, ad II, C. P. F. n. 794.

possent facere fidem si de ea re interrogarentur, sit tunc validum matrimonium tali modo contractum" — accedit, inquam, quod S. C. ad hanc quaestionem respondit: „Affirmative, quatenus testibus certo constet de praestatione consensus."

Quid vero, si contrahentes noverint, testes requiri, putent autem, eos non adesse et nihilo minus contrahant? Plures censent, matrimonium esse invalidum. [1]) Sed cum Gasparri ita respondendum: „Matrimonium *valet* si contrahens, quantum in se est, intendit verum matrimonium, quia tunc adest consensus (et ex hypothesi aliud impedimentum non obstat): nulla enim est ratio, qua opinio impedimenti, seu falsa seu vera, per se excludat illum voluntatis actum, qui matrimonialem consensum constituit. *Est nullum*, si contrahens intendit concubinatum, vel simplicem caeremoniam civilem, sponsalia, etc. non autem verum matrimonium; tunc enim deest consensus. Praesumitur autem intendisse matrimonium, donec contrarium non evincatur, tum propter matrimonii favorem, tum quia verba sonant matrimonium et intentio praesumitur semper verbis respondere." [2]) Huic sententiae favet responsum S. C. de Prop. Fid. ad vic. Ap. Constantinop. [3]) Adde can. 1085: Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit.

III. *Praesentia parochi (loci Ordinarii vel delegati) et testium debet esse simultanea, physica et moralis.*

1. *Simultanea.* Requiritur enim, ut omnes unum eumdemque actum nubendi testari possint. Ceterum eiusmodi praesentiam requiri, satis significatur verbis: „Coram parocho ... et duobus saltem testibus."

2. *Physica* seu corporalis. Statuitur enim, contrahendum esse „*coram* parocho et duobus saltem testibus." Praesentia autem physica non constituitur per commercium ope telephonii vel telescopii institutum.

3. *Moralis* seu talis, ut saltem ex circumstantiis percipiant, matrimonium inter tales contrahi. Id autem fieri potest,

---

[1]) *Van den Acker.* p. 24 sq.
[2]) Tract. can. de Matrimonio [3], n. 906.
[3]) 1 Oct. 1785, ad III, C. P. F. n. 580.

etiamsi quis auditu aut visu careat; non autem, si et visu et auditu destitutus est.

Attamen valor matrimonii non videtur pessumdari ex eo quod parochus, consensu requisito, sibi ipsi causa est non percipiendi consensus, puta aures obturando oculosve velando. Etenim non convenit, valorem matrimonii ita a parochi arbitrio dependere. [1]) Idem ob paritatem rationis testibus applicetur. Advertas, in posita hypothesi parochum et testes non esse *mere physice* praesentes matrimonio; nam probe sciunt, matrimonium aliquod coram se contrahi. Sunt tamen [2]) qui hanc doctrinam, quatenus parochum respicit, reiciant, quia lex diserte requirit, ut parochus consensum *excipiat*. Verum, spectato argumento supra allato, opinor consensum satis excipi eo ipso quod post institutam inquisitionem emittitur, ministro probe sciente, eum emitti. Neque vocem *excipiendi* urgeas, quo magis parochi libertati consulas. Huic enim satis superque consultum est, quatenus parochus debet neque vi neque metu gravi constrictus requirere contrahentium consensum.

§ 2. — De requisitis, ut parochus et loci Ordinarius valide assistant.

Canon 1095, § 1.

Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt:

1. *A die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam can. 334, § 3, 1444, § 1, vel initi officii, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati;*

2. *Intra fines dumtaxat sui territorii, in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt;*

3. *Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.*

Itaque parochus et loci Ordinarius:

I. *Possessionem canonicam beneficii adepti sint vel officium*

[1]) *Bened. XIV*, de Syn. XIV, 23, n. 10, 11; *Wernz*, n. 182, nota 236.
[2]) *Van den Acker*, p. 40.

inceperint. Porro canonicam dioecesis possessionem capiunt *Episcopi residentiales* simul ac in ipsa dioecesi vel per se vel per procuratorem apostolicas litteras Capitulo ecclesiae cathedralis ostenderint, praesente secretario Capituli vel Cancellario Curiae, qui rem in acta referet (can. 334, § 3). — Quoad *parochos* attendatur can. 1444, § 1: Missio in beneficii possessionem fiat secundum modum iure peculiari praescriptum, vel legitima consuetudine receptum, nisi iusta ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis (can. 1444, § 1). — Possessio beneficii etiam per procuratorem, speciale mandatum habentem, capi potest (can. 1445).

Qui non habet beneficium sed solum officium, ut Vicarius Generalis, officium suum init eo ipso quod illud exercere incipit.

II. *Non sint per sententiam excommunicati vel interdicti* [1]) *vel suspensi ab officio aut tales declarati.* Itaque non sufficit, ut quis aliquam ex poenis enumeratis contraxerit, sed requiritur, ut aut a iudice ad eam *condemnatus* aut eam contraxisse *declaratus sit.* Quoad suspensionem notes, facultatem per solam suspensionem *ab officio*, non vero per aliam auferri. Attamen suspensio *generaliter lata* etiam suspensionem ab officio includit (can. 2278, § 2).

III. *Assistant intra fines sui territorii*, in quo matrimoniis tam subditorum quam non subditorum valide intersunt. Itaque competentia parochi et Ordinarii quod ad validam assistentiam attinet, ita territorio annexa est, ut *intra* territorii sui fines *omnium*, etiam non subditorum, *extra* eos *nullius*, neque subditorum matrimonio valide intersint. Observes tamen, domus et ecclesias Regularium licet exemptas valere quoad assistentiam sponsalibus et matrimonio tanquam territorium parochi et Ordinarii, in quorum districtu territoriali sitae sunt. Ratio est, quia praedictae domus et ecclesiae, etsi ratione personarum exemptae, tamen in eorum territorio sunt. [2]) Ad assistentiam licitam requiritur licentia Praelati regularis.

[1]) Notes, verba *vel interdicti* in Decreto *Ne temere* non reperiri.
[2]) S. C. de Sacr. 12 Mart. 1910, ad VIII.

IV. *Neque vi neque metu gravi constricti sint.* [1]) Metus gravis intelligitur metus gravis damni, isque ab extrinseco ut dicitur, i. e. a causa libera incussus. Neque refert, utrum metus ab ipsis partibus an ab alio incussus sit. Attamen metus non ita facile gravis reputetur, ne matrimonium magis quam par est periculo nullitatis exponatur. Ad haec notes, dolum seu fraudem a contrahentibus aliisve adhibitam, ut parochus assistat, valori assistentiae non nocere, etiamsi, dolo vel fraude deficiente, assistentia fuisset denegata. [2])

Quaer. I. An metus, ut validae assistentiae obstet, debet esse incussus ad extorquendam assistentiam?

R. Affirmandum videtur; siquidem dispositio, vi cuius metus ad alium finem incussus valori assistentiae obstaret, causam hanc nimis implicaret, magisque quam par est dubiis de valore matrimonii ansam praeberet. Datur igitur causa excipiendi metum non incussum ad extorquendam assistentiam, quamvis littera legis non distinguat.

Quaer. II. An metus, ut validae assistentiae obstet, debet esse iniuste incussus?

R. Negandum videtur. Atque primum quidem huic sententiae favet tenor legis, quippe quae non distinguat inter metum iuste et iniuste incussum. Accedit quod praedicta distinctio post votum Consultoris, qui de ea in lege Piana praeparanda disputaverat, a S. Congregatione non est admissa. [3]) Metus gravis iuste incussus *sponso* vel *sponsae* valori matrimonii quidem non obstat. Verum id requiritur, quia secus posset contingere, ut deficeret unicum medium perveniendi ad matrimonium, quod iniuste denegaretur, nimirum metus iuste incussus. Ea autem ratio in casu nostro non valet, quum, parocho iniuste assistentiam denegante, detur occasio atque facultas coram alio contrahendi. Excipe tamen metum iuste incussum, qui versatur intra sphaeram seu in linea ipsius legis, quique ad ipsam legem tuendam

---

[1]) Notes, verba *invitati ac rogati,* quae in Decreto *Ne temere* reperiebantur, esse praetermissa, ita ut iam non debeat ad ea attendi.

[2]) *Boudinhon,* n. 65; *Choupin,* n. 31.

[3]) Act. S. Sed. 1907, p. 538. Ita *Wernz,* p. 301, *Choupin,* n. 31, *Besson* in Nouv. Rev. théol. 1907, p. 34 et alii contra *Leitner,* p. 37 et *Van den Acker,* quamvis posterioris sententia a nostra vix differat.

ordinatur. Hinc valet assistentia praestita, sive quia Episcopus parochum invitum per poenas ad debitam assistentiam cogit, sive quia nupturientes minantur, se parochum qui iniuste assistentiam denegat, esse denuntiaturos Ordinario. Nequit enim admitti, eiusmodi metum ex mente legislatoris lege comprehendi.

V. *Requirant contrahentium consensum;* quod quidem exigitur, quo magis libertati ministri assistentis consulatur, magisque matrimonia ex inopinato contracta praecaveantur. Itaque non sufficit, ut nupturientes consensum matrimonialem coram ministro emittant, sed requiritur, ut hic praevie et formaliter consensum requisiverit. Attamen ad valorem non refert, utrum illud peragat per se an per interpretem, per verba an per scripturam, nutum aliudve signum.

Consensus etiam requiri debet, quum agitur de matrimonio inter partem catholicam et partem acatholicam; de quo vide art. 3, ubi etiam de exemptione a lege communi, quae forte persistat. Ceterum — idque notes quod ad matrimonia hic et nunc illicita attinet — requisitio consensus ex se non involvit *invitationem* ad matrimonium ineundum, sed *meram investigationem*, num nupturientes matrimonium contrahere velint, ita ut *cooperatio materialis* tantum praestetur.

VI. *Excipiant contrahentium consensum.* Id autem contingit eo ipso quod nupturientes post institutam requisitionem consensum emittunt, ministro sciente, eum emitti (p. 17).

Nota. Si matrimonium per procuratorem celebratur, parochus ab eo consensum requirat. Ceterum advertas, matrimonium inter absentes iam non posse contrahi per *litteras;* siquidem „ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem" (can. 1088, § 1).

§ 3. — De licentia alii concessa valide assistendi.

Canon 1095, § 2 et can. 1096.

Can. 1095, § 2. *Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti*

licentiam dare ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat.

Can. 1096, § 1. *Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095, § 2, dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est.*

§ 2. *Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.*

I. **Notio delegationis.** Delegatio seu concessio licentiae valide assistendi matrimonio est actus, quo testis matrimonii auctorizabilis (i. e. testis, qui actui cui interest auctoritatem legalem praestare potest) alium sibi substituit. Sicuti autem assistentia ab ipso substituente praestita non est vere actus *iurisdictionis*, ita etiam concessio licentiae assistendi non involvit *verae iurisdictionis communicationem* seu *delegationem.* Dicitur tamen passim *delegatio*, quia fit ad normam delegationis eique eadem fere ac verae delegationi applicantur principia. Licentia, de qua sermo est, distinguitur a licentia, de qua paragrapho subsequenti sermo erit. Prior ad valorem, posterior ad solam liceitatem spectat.

II. **Quis potest delegare?** Delegare valent *parochus et loci Ordinarius, qui possunt ipsimet valide matrimonio assistere.* Hinc nequeunt alium delegare, antequam canonicam possessionem beneficii adepti sint vel inierint officium; neque illud possunt, si per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati. Praeterea parochus et loci Ordinarius valent tantum alii concedere facultatem, ut *intra fines sui territorii* assistat: siquidem extra fines praedictos neque ipsimet valide assistunt.

Quaer. An delegatus ad assistendum potest subdelegare?

R. 1. Delegatus ab Apostolica Sede potest subdelegare, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita. — Delegatus ab inferiore ac S. Pontifice potest subdelegare: 1^0 si delegatus est ad universa negotia matrimonialia pertractanda; 2^0 si facultas subdelegandi expresse concessa

est (can. 199, § 1, 2, 3, 4), secus subdelegare nequit; idque valet, ut videtur, etiamsi delegatus sit ad universitatem *casuum* — i. e. universaliter quidem, sed tantum ad assistendum matrimoniis — quia non consuevit dici delegatus ad universitatem *negotiorum* (cfr. can. cit. § 3).

R. 2. Subdelegatus nequit iterum subdelegare, nisi illud expresse concessum fuerit (can. 199, § 5).

III. **Quis potest delegari?** Licentia tum a delegante tum a subdelegante concedi debet *sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum.*

1. Primum postulatur, ut is cui licentia conceditur, sit *sacerdos.* Attamen licentia conferri potest tam sacerdoti approbato quam non approbato ad curam animarum, ad confessiones audiendas; quod quidem deducitur ex eo, quod solummodo sermo est de *sacerdote*, quin addatur, eum debere esse *approbatum.*

2. Deinde requiritur, ut licentia conferatur sacerdoti *determinato.* Hinc invalida foret licentia concessa sacerdoti prorsus indeterminato, puta, si parochus statueret: „Facultatem assistendi matrimonio facio uni e vicariis meis", nullo vicario in individuo determinato. Neque valeret licentia data sponsis eligendi quemcumque sacerdotem maluerint. Pariter, ut videtur, invalide ageret parochus, qui delegaret v. g. unum e membris communitatis a Superiore designandum, vel sponsis facultatem faceret contrahendi coram Petro vel Paulo, prout unum vel alium electuri sunt. In posterioribus casibus membra communitatis, item Petrus et Paulus sunt quidem sacerdotes determinati; sed independenter a designatione Superioris vel electione sponsorum incertum est, quis ex iis delegetur; quod, spectato sensu obvio legis, obstat valori. [1]) Excipe tamen, si parochus intenderet in priori casu omnia membra communitatis, in altero tam Petrum quam Paulum delegare. Praeterea notentur haec:

a) Non requiritur, ut delegandus *notus* sit deleganti, modo sit in se determinatus.

b) Determinatio fieri potest aut per designationem officii

[1]) Contradicit *Van den Acker*, p. 64.

(puta: facio facultatem assistendi huic vel illi matrimonio Rectori Ecclesiae succursalis in N.), aut per designationem nominis; sufficit etiam, ut delegans sacerdotem determinet ipsum alloquendo eive litteras dando.

c) Nihil impedit, quominus *plures* sacerdotes designentur; legislator solummodo intendit excludere delegationem personae *indeterminatae*. Ita parochus delegare potest v. g. omnes suos vicarios vel etiam omnes sacerdotes nunc curam habentes in decanatu. Difficile tamen determinatur, quousque ea extendi possint; cavendum igitur, ne matrimonium periculo nullitatis exponatur.

3. Denique postulatur, atque quidem ad valorem, ut licentia detur ad matrimonium *determinatum*. Hinc invalida foret licentia data v. g. ad assistendum omnibus vel certae categoriae matrimoniis, vel eis, quae v. g. hoc vel illo mense forte contrahenda erunt. Valeret autem delegatio facta ad *plura* matrimonia determinata, quia legislator intendit tantum excludere licentiam ad assistendum matrimonio indeterminato. Praeterea statuitur exceptio quoad vicarios cooperatores, qui pro paroecia, cui addicti sunt, generaliter delegari possunt, i. e. ad assistendum sive omnibus sive certae cuiusdam categoriae matrimoniis.

IV. **Requisita ad delegationem.** Ut delegatio valida sit et effectum sortiatur, alia requiruntur ex parte delegantis, alia ex parte delegandi.

1. *Ex parte delegantis* requiritur actus:

a) *vere positus*. Itaque non sufficit concessio *praesumpta* vel *interpretativa*, neque *mera tolerantia*, quippe quum tolerantia qua talis actum *concedendi* non involvat.

b) *voluntarius*, i. e. libere seu deliberate positus. Advertas tamen, metum non obstare libertati, neque ex novo iure delegationem gravi metu extortam invalidam esse. Verum quidem est, *assistentiam* a parocho vel delegato ex gravi metu praestitam valore destitui; at ex eo non sequitur, *delegationem* ex gravi metu factam invalidam esse. *Error* tunc tantum delegationis valori officit, quum *substantialis* est, i. e. quum versatur circa personam delegandi vel nupturientium; neque tunc impedit valorem, si delegans habet voluntatem *utcum-*

que concedendi licentiam. Ceterum error non est substantialis, si solum nomen, non ipsam personam respicit. Praeterea notari solet, errorem circa qualitatem personae delegandae vel nupturientis, item circa causam concessionis valori obstare casu, quo qualitas vel causa intenta fuerit tanquam *conditio sine qua non* delegationis; verum in ista hypothesi defectus conditionis potius quam error valori officit.

c) *expressus*, sive oretenus sive in scriptis sive aliis signis positivis aequivalentibus. Itaque licentia tacita data iam non sufficit. [1]) Ceterum praestat licentiam in scriptis concedere; quo quidem modo eam conferri, supponere videtur Rituale Romanum. [2])

2. *Ex parte delegandi* requiritur, ut delegationem cognoscat et acceptet. [3]) Quodsi delegatio ab ipso delegando vel, eo conscio, petita fuerit, assistentia praestita post licentiam datam sed nondum significatam secundum auctores valida sed illicita est. [4]) Praeterea scientia et acceptatio delegationis non requiruntur, si concedatur statuto vel lege, quippe quae etiam invitis dari possint.

---

[1]) Disputatum fuit, utrum necne licentia tacita antea suffecerit. Verum quum a lege nihil aliud exigeretur nisi ut licentia vere *concederetur*, eam autem *tacite concedi* non repugnet, licentia tacita, modo rite intelllgeretur, suffecisse videtur. Neque seriam difficultatem facessebat responsum S. C. C. d. d. 22 Iun. 1581, quippe quae solum decreverit, non sufficere licentiam tacitam, quae „ex mera tolerantia resultat." Quod quidem optimo iure decretum est, siquidem *mera tolerantia* non sufficit, ut licentia vere *concedatur*, seu ex mera tolerantia licentia vere *concessa* resultare nequit; quod tamen non impedit, quominus *tolerantia*, visis adiunctis, *signum* concessionis esse queat. Quum vero passim de licentia tacite data non satis constaret, ipsa eiusque usus ut plurimum illicita, matrimonia vero ita contracta facile dubie valida erant. Ad quaestionem, num valida essent matrimonia, quibus coadiutores ex iure particulari facultate assistendi non instructi, astiterint, parochis non contradicentibus; ad hanc quaestionem S. C. de Sacr. d. 12 Mart. 1910, ad VI respondit: „Acquiescant, facto verbo cum SS^mo." „Quod responsum innuit, dubitationem persistere circa valorem huiusmodi assistentiae, quamvis matrimonia de quibus petitur, haberi possint qua valida, supplente scil., in quantum opus, S. Pontifice et sanante connubia forte nulliter contracta" (*De Smet* in Coll. Brug. 1910, p. 316).

[2]) Tit. X, c 5, ubi haec forma exhibetur describendi matrimonium coram delegato contractum: „N. Presbyter ... de licentia *quae penes me exstat*, in matrimonium coniunxit" etc.

[3]) S. C. C. 9 Dec. 1626; 15 Apr. 1628; S. R. Rota, 30 Ian. 1911 (A. A. S. 1911, p. 286); *Wernz*, n. 180, nota 218; *Vlaming*, n. 515.

[4]) S. R. Rota, l. c.

V. **Usus facultatis delegandi.** Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus, quae ius constituit pro libertate status comprobanda (can. 1096, § 2). Modo haec dispositio servetur, facultas delegandi licite in usum deducitur. Vicarii cooperatores pro paroecia, cui addicti sunt, non solum valide verum etiam licite generaliter delegantur. [1]) Advertas tamen, cooperatores per se nullatenus eo ipso quod coadiutores constituuntur ad assistendum matrimoniis delegari. [2])

VI. **Servanda a delegato.** Delegatus ut *valide* nuptiis intersit, eodem modo quo parochus procedat. Itaque: 1° assistat matrimonio intra fines territorii delegantis; 2° neque vi neque metu gravi constrictus requirat excipiatque contrahentium consensum. Patet, haec servanda esse, quamvis lex ea diserte delegato non applicet. Videtur autem delegatus valide assistere, etiamsi fuerit per sententiam excommunicatus vel interdictus vel suspensus ab officio aut talis declaratus. Etenim ex una parte lex quoad delegatum contrarium non significat, ex altera autem parte non est inconveniens, in teste qualificato delegato seu extraordinario aliquid non requiri, quod requiritur in teste ordinario. [3])

Quae requiruntur, ut parochus et loci Ordinarius *licite* assistant — de quibus § subsequenti — ea a delegato eatenus serventur quatenus a delegante ipsi committantur.

§ 4. — De requisitis, ut parochus et loci Ordinarius licite assistant.

Canon 1097.

§ 1. *Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt:*

1°. *Constito sibi legitime de libero statu contrahentium ad normam iuris;*

2°. *Constito insuper de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;*

---

[1]) Cfr. S. C. de Sacr. 12 Mart. 1910, ad VI, ad c.
[2]) Cfr. S. C. de Sacr. 12 Mart. 1910, ad VI, ad b.
[3]) *Schaepman*, p. 62.

3⁰. *Habita, si conditiones deficiant de quibus n. 2, licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi vel de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset.*

§ 2. *In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda.*

§ 3. *Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat.*

Ut parochus et loci Ordinarius licite assistant:

I. *Primum constare debet, atque quidem ad normam iuris, de libero statu contrahentium.* Status liber intelligitur immunitas a quocumque impedimento tam impediente quam dirimente, maxime ab impedimento ligaminis. De statu libero constare debet ad normam iuris, scilicet et iuris communis et iuris particularis per statuta vel legitimam consuetudinem introducti. Spectato iure communi, praescribuntur tria vel quatuor, scil. 1⁰ investigatio directa a parocho instituenda; 2⁰ testimonium baptismi; 3⁰ publicationes. Praeterea 4⁰ quo magis valori matrimonii a vagis contrahendi consulatur, parochus extra casum necessitatis eorum matrimonio non assistat, nisi re ad loci Ordinarium vel ab eo delegatum delata. In periculo mortis secundum normam peculiarem mox exponendam procedi potest. Singula exponemus.

1. *Investigatio.* Parochus cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore, diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet. — Tum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute interroget num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere, praesertim mulier, praestent, et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint,[1]) nisi ob personarum qualitatem haec ultima inter-

[1]) Pontif. Comm. a. c. i. ad dubium 3: Si sponsa vel sponsus

rogatio inutilis appareat. — Ordinarii loci est peculiares normas pro huiusmodi parochi investigatione dare (can. 1020).

2. *Testimonium baptismi.* Nisi baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio, parochus exigat baptismi testimonium ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus (can. 1021, § 1). Quodsi agatur de matrimonio inter partem catholicam et partem acatholicam baptizatam, etiam quoad partem acatholicam in factum et valorem Baptismi inquirendum, immo ab ea quoque testimonium baptismi exigendum est. Excerptum e registro baptismali permultum inservire potest detegendis impedimentis, si quae sint, puta ligaminis, consanguinitatis etc.; qui finis ut securius obtineatur, maxime suadendum, ut testimonium Baptismi sit recentioris datae. [1])

3. *Publicationes;* quocirca Codex:

a) Publice a parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum (can. 1022). Attamen publicationes ne fiant pro matrimoniis quae contrahuntur cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis, nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum duxerit, dummodo apostolica dispensatio praecesserit et mentio omittatur religionis partis non catholicae (can. 1026).

b) Matrimoniorum publicationes fieri debent a parocho

---

inveniantur ignari doctrinae christianae, eritne locus eos respuendi a matrimonio, vel differendi matrimonium usque ad instructionem? d. 2-3 Iun. 1918 respondit: Parochus servet praescriptum canonis 1020, § 2; et dum ea peragit quae Codex peragenda praescribit, sponsos ignorantes sedulo edoceat prima saltem doctrinae christianae elementa: quodsi renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam canonis 1066.

[1]) In Archidiocesi Ultrai. praescribitur, ut baptismi testimonium non ante trimestre extractum sit. Passim quoque suadendum, ut parochus matrimonii dictum testimonium a parocho baptismi petat, illudque nupturientibus non committat. Hinc Prosyn. Ultrai. anni 1911 sapienter praecipit: „Opportuno tempore, i. e. statim post nomina a sponsis data in ordine ad matrimonium ineundum, *parochus matrimonii ineundi* transmittat ad *parochum baptismi* petitionem testimonii baptismi collati, scilicet tum ad parochum baptismi sponsi, tum ad parochum baptismi sponsae, si utraque pars fuerit alibi baptizata." *Parocho autem baptismi* praecipitur, ut „sine mora, i. e. eodem die vel die immediate sequenti, remittat testimonium baptismi."

proprio (can. 1023, § 1). Parochus autem proprius nupturientium est, in cuius paroecia habent domicilium vel quasi-domicilium (can. 94, § 1) vel menstruam commorationem [1]) vel — si agatur de vagis [2]) aut de eis, qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium — actualem commorationem [3]) (can. 94, § 2 et 3). — Si pars alio in loco [4]) per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, [5]) parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat (can. 1023, § 2). [6]) Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio, ad normam § 2, removeatur (can. 1023, § 3). — Denique serventur statuta particularia, quae publicationes respiciunt et iure communi non adversantur: haec passim maxime respiciunt matrimonia militum et vagorum. [7])

c) Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia inter Missarum so-

---

[1]) Ita dicendum videtur, re in ordine ad matrimonium considerata (p. 30).

[2]) *Vagus* est qui nullibi domicilium vel quasi-domicilium — neque paroeciale neque dioecesanum — habet (can. 91. Cfr. etiam nota 1 et pag. 30).

[3]) i. e. commorationem alicuius momenti (p. 34).

[4]) Non dicitur *alia in paroecia*, ita ut praeceptum non vigeat, si agatur de alia paroecia eiusdem loci.

[5]) Minor, si masculus, censetur *pubes* a decimoquarto, si femina, a duodecimo anno completo (can. 88, § 2).

[6]) Pont. Comm. a. c. i. d. 2-3 Iun. 1918 ad dubium: — Si pars post adeptam pubertatem plusquam per sex menses commorata fuerit — in longissimis et dissitis oris, a quibus ut habeatur regularis attestatio libertatis status longius tempus requiritur, cum tamen urgeat celebratio matrimonii, sufficitne in casu ad certiorandam libertatem status iuramentum partis cum testimonio duarum, vel si non possint haberi duo, saltem unius, qui secum commorati fuerint illis in regionibus? — respondit, rem remitti prudenti iudicio Ordinarii, qui alias probationes, non excluso iuramento suppletorio, praescribere potest ad normam canonis 1023, § 2.

[7]) In dioecesibus Provinciae ecclesiasticae Ultrai. publicationes etiam fieri debent in paroecia domicilii non ultra semestre praeteriti et in paroecia quasi-domicilii non ultra semestre praeteriti. Praeterea matrimonia *militum* etiam denuntiari debent in paroecia, in qua actu morantur; matrimonia autem *vagorum* etiam: 1° in paroecia in qua actu morantur et matrimonium sunt contracturi, 2° in paroecia originis, vel saltem in ea in qua diutius commorati sunt (*Schaepman*, p. 11).

lemnia, aut inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat (can. 1024). — Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis, aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur (can. 1025). [1])

d) Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti iudicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare. — Si plures sint Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest (can. 1028).

e) Si alius parochus investigationem aut publicationes peregerit, de harum exitu statim per authenticum documentum certiorem reddat parochum, qui matrimonio assistere debet (can. 1029).

f) Peractis investigationibus et publicationibus, parochus matrimonio ne assistat, antequam omnia documenta necessaria [2]) receperit, et praeterea, nisi rationabilis causa aliud postulet, tres dies decurrerint ab ultima publicatione. — Si intra sex menses [3]) matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur (can. 1030).

g) *Exorto dubio de exsistentia alicuius impedimenti:* 1^0 parochus rem accuratius investiget interrogando sub iuramento duos saltem testes fide dignos, dummodo ne agatur de impedimento ex cuius notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas quoque partes; 2^0 publicationes per-

---

[1]) Sicuti loci Ordinarius potest ex legitima causa a publicationibus dispensare (can. 1028), ita etiam potest ex iusta causa permittere, ut fiant festis abrogatis.

[2]) Scilicet: testimonium baptismi (can. 1021, p. 27), testimonium investigationum et publicationum alibi institutarum (can. 1029, p. 26 sq.), testimonium licentiae Ordinarii, si de vago agatur (can. 1032, p. 30) et, pro adiunctis, testimonium obitus compartis prioris etc. Confirmationis documentum non exigitur.

[3]) Hisce extensa sunt haec Rit. Rom.: Si vero *infra duos menses* post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur (De Sacr. Matrim. tit. VII, c. 1, n. 11).

agat vel perficiat, si dubium ortum sit ante inceptas vel expletas publicationes; 3° matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter iudicaverit. — *Detecto impedimento certo:* 1° Si impedimentum sit occultum, parochus publicationes peragat vel absolvat, et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel ad Sacram Poenitentiariam. 2° Si sit publicum et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficiat, et rem ad Ordinarium deferat. — *Demum si nullum detectum fuerit impedimentum, nec dubium nec certum*, parochus, expletis publicationibus, ad matrimonii celebrationem partes admittat (can. 1031).

4. Quo magis consulatur valori matrimonii a vagis contrahendi, can. 1032 statuit: Matrimonio vagorum de quibus in can. 91, parochus, excepto casu necessitatis, nunquam assistat, nisi, re ad loci Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit. Porro:

a) Nomine vagorum certo veniunt, qui incertas habentes sedes domicilio, quasi-domicilio et menstrua commoratione carent.

Disputari potest, num ii quoque comprehendantur, qui domicilio et quasi-domicilio quidem, *non vero menstrua commoratione* destituti sint. Iam vero, spectata littera can. 1032 affirmari deberet. Etenim can. citatus praecipit, ut recurratur, si agatur de matrimoniis vagorum, de quibus in can. 91 sermo est. Atqui, attento can. 91, omnis qui caret domicilio et quasi-domicilio vagis accensendus est. Nihilo minus, spectato sensu obvio verborum can. 1097, § 1: „Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt . . . . constito . . . . de domicilio vel quasi-domicilio vel *menstrua commoratione*", pro practice tuta habeo sententiam, quae eos, qui menstrua commoratione gaudent, relate ad matrimonium inter vagos non annumerat; quae sententia eo magis placet, quod etiam sub iure Piano res ita sese habebat. [1])

[1]) S. C. C. 28 Mart. 1908, ad V; S. C. de Sacr. 12 Mart. 1910, ad V.

Praeterea controverti potest, num nomine vagorem ii quoque veniant, qui non vagantur seu non habent incertas sedes, sed *momentanee tantum vagi* sunt, v. g. qui, relicto domicilio, mox novum acquirent. Pro sententia affirmante militant haec: 1⁰ Ubi lex non distinguit neque nos distinguamus. 2⁰ Si momentanee vagi non venirent nomine vagorum, can. 1097, qui de assistentia licita agit, de illis nullatenus diceret. 3⁰ Can. 1032 refert art. V, § 4 decreti *Ne temere*. Porro citata paragraphus etiam momentanee vagos comprehendebat, ut patet ex declaratione S. C. de Sacram., [1]) quae diserte de *ista paragrapho* declaravit: „Nomine vagorum, de quibus Art. V, § 4, veniunt *omnes* et soli, qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis". Ceterum eiusmodi cautela etiam quoad momentanee vagos, utut non necessaria, utilis tamen est.

b) Ordinarius, cuius licentia requiritur, intelligitur Ordinarius loci, in quo matrimonium contrahitur.

c) Praedicta licentia requiritur, etiamsi una tantum pars vaga sit. Deducitur ex fine legis, scilicet praecavendi matrimonia invalida; qui finis urget, sive uterque sive unus tantum vagus est.

d) Licentia non requiritur in casu necessitatis, puta si periculum est, ne partes, si licentia exspectetur, mere civiliter contrahant; si adsit necessitas adeundi itineris longinqui, quod adeo urget, ut tempus licentiae obtinendae non supersit; etc.

5. In periculo mortis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento (can. 1019, § 2).

II. Probato statu libero contrahentium, parochus et loci Ordinarius matrimonio licite assistunt, si saltem alteruter contrahens habet domicilium vel quasi-domicilium vel menstruam commorationem, vel, si de vago agatur, actualem commorationem in loco matrimonii.

1. *Domicilium vel quasi-domicilium.* Porro:

a) *Acquiritur domicilium* commoratione in aliqua paroecia

[1]) 12 Mart. 1910, ad V.

aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum (can. 92, § 1). Acquiritur igitur domicilium: 1⁰ quando simul adsunt et factum commorationis et animus descriptus; 2⁰ eo ipso quod quis alicubi per decem annos completos commoratus est. De animo perpetuo manendi constare potest tam ex declaratione habitantis quam ex factis animum aperientibus, puta ex familiae traductione, maioris bonorum partis translatione etc. — *Acquiritur quasi-domicilium* commoratione uti supra, quae vel coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad maiorem anni partem (can. 92, § 2), i. e. ut Instr. S. Off. 7 Iun. 1867 significavit, ad sex saltem menses. Acquiritur igitur quasi-domicilium: 1⁰ ubi primum utrumque simul concurrit, scil. et factum commorationis et animus descriptus; 2⁰ eo ipso quod quis alicubi per maiorem anni partem commoratus est. Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia vel quasi-paroecia dicitur *paroeciale;* in dioecesi, vicariatu, praefectura, non autem in paroecia vel quasi-paroecia, *dioecesanum* (can. 92, § 3). Praeterea notes:

α) Uxor, a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium viri sui; amens, domicilium curatoris; minor, [1]) domicilium illius cuius potestati subiicitur (can. 93, § 1).

β) Minor infantia egressus [2]) potest quasi-domicilium proprium obtinere; item uxor a viro legitime non separata, legitime autem separata etiam domicilium (can. 93, § 2). Advertas tamen, minorem et uxorem a viro legitime non separatam, etiamsi quasi-domiclium proprium obtinuerint, retinere: priorem domicilium illius, cuius potestati subicitur; alteram domicilium viri sui.

b) *Amittuntur* domicilium et quasi-domicilium discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 93 (can. 95); qui can. modo allegatus est.

---

[1]) Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra hanc aetatem minor (can. 88, § 1).

[2]) i. e. post septennium completum.

II. *Menstrua commoratio;* quocirca advertas:

a) Requiritur sed etiam sufficit *factum* commorationis menstruae. Intentio commorationem per mensem protrahendi nec sufficit nec requiritur: solum factum, nullatenus autem mens attenditur, uti et ex indole huius legislationis et ex verbis adhibitis deducitur. Neque requiritur habitatio, sed sufficit commoratio, eaque sive per modum habitantis sive per modum hospitis, operarii etc. Ad haec commoratio sumi debet secundum aestimationem communem. Porro: 1° Qui *habitat* in aliquo loco, puta in domo paterna, secundum communem aestimationem ibidem commoratur, etiamsi quotidie aut interdiu aut nocte alibi degat, ut si per diem aut per noctem in fabrica alius municipii operatur. Qui *nullibi habitat*, sed interdiu in uno loco, nocte autem alibi degere consuevit, potius commorari dicitur ubi solet pernoctare. Denique perinde est, utrum quis tanquam catholicus an tanquam acatholicus in loco commoretur. [1])

b) Tempus commorationis menstruae ita supputetur. Quum terminus a quo assignatus sit, mensis sumatur prout est in calendario, v. g. a die 1 Febr. usque ad diem 28 vel 29 Febr. Et quia terminus a quo non coincidit vel saltem (a iure) non censetur coincidere cum initio diei, primus dies ne computetur, et tempus finiatur, expleto ultimo die eiusdem numeri, v. g. a die 25 Mart. usque ad diem 25 April. expletum. Quodsi mensis die eiusdem numeri careat, tempus finiatur, expleto ultimo die mensis, v. g. a die 30 Ian. usque ad diem 28 vel 29 Febr. expletum (can. 34, § 3, 1°, 3°, 4°).

c) Commoratio debet esse *continua*, saltem moraliter. Porro absentia unius alteriusve diei et noctis non videtur continuitati obstare. Idque satis probabiliter valet, etiamsi quis abierit cum intentione non redeundi; intentio enim ut supra dictum est nullatenus attendenda videtur. [2]) Ad haec si absentia

---

[1]) Cfr. responsum S. C. de Sacr. 28 Ian. 1916, quo illicita declaratur assistentia a quodam parocho praestita, non quia una pars ante conversionem in eius paroecia commorata erat, sed quia commoratio erat interrupta.

[2]) *Wernz*, p. 294. Contradicunt *Vermeersch*, n. 58 et *Van den Acker*, p. 48.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRA

unius alteriusve diei continuationi non obstat, neque per alios dies additos compensari debet.

d) Denique patet, commorationem continuandam esse usque ad matrimonium contrahendum. Secus non habetur, sed habita fuit commoratio menstrua.

4. *Actualis commoratio.* Per eam intelligitur, ut elucet ex § 3, commoratio per tempus alicuius momenti, ita ut quis dici possit alicubi sedem commorationis habere, et non tantum per modum tecto carentis ibidem degere. Porro eiusmodi alterutrius contrahentis commoratio in loco matrimonii ad licitam assistentiam sufficit, si de vago agatur; idque valet, sive utraque sive una solum pars vaga est. Advertas tamen, in casu requiri ad assistendum licentiam Episcopi eiusve delegati, de qua can. 1032 (pag. 30).

5. *Locus matrimonii* respectu parochi est paroecia ipsi commissa; respectu Episcopi, Vicarii et Praefecti Apostolici tam quaevis dioecesis paroecia (resp. vicariatus vel praefecturae quasi-paroecia) quam dioecesis (vicariatus, praefectura) qua talis.

Lehmkuhl [1]) censet, nomine *loci* comprehendi municipium civile, puta civitatem etc. Verum eiusmodi dispositio tantopere ab indole legislationis antiquae recedit, ut legislator, si illud intendisset, mentem suam clarius manifestasset.

III. Si conditiones, de quibus sub II, deficiant, opus est licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis. Licentia autem tam oretenus quam scripto, tam expresse quam tacite concedi potest. Sufficit etiam licentia rationabiliter praesumpta, si commode peti nequit: quo casu sane decet post factum parochum proprium monere. Denique nihil prohibet, quominus parochi alicuius civitatis commodi gratia alii aliis generalem assistendi licentiam conferant. [2]) Ad haec:

1. Licentia non requiritur, si utraque vel alterutra pars sit vaga actu itinerans, quae nullibi commorationis sedem habet. Eiusmodi enim vagi cum careant parocho et Ordinario

[1]) Theol. Mor.[12] II, 889.

[2]) Fac advertas, licentiam, de qua hic sermo est, ad liceitatem tantum requiri; quandoquidem supponimus, parochos in sua quosque paroecia matrimoniis interesse.

proprio stricte dicto (cfr. can. 94, § 2), licentia talis parochi vel Ordinarii postulari nequit. Requiritur tamen illa licentia Ordinarii, de qua can. 1032 (p. 30).

2. A licentia petenda excusat gravis necessitas, ut iter longinquum adeundum, quod adeo urget, ut tempus licentiae obtinendae non supersit, etc. (p. 31). [1])

IV. In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset.

1. Si sponsa plures habet parochos proprios, eligat quem voluerit. Si acatholica est, matrimonium quidem post dispensationem obtentam coram parocho partis acatholicae iniri potest, sed habetur ratio sufficiens contrahendi coram parocho sponsi. [2])

2. Lex non obligat sub gravi, ut eruitur tam ex eius tenore: „pro regula habeatur", quam ex eo quod omnis iusta causa ab ea excusat. Immo sunt, qui nullam obligationem stricte dictam agnoscant.

3. Ut iam insinuatum est, a regula per se sequenda omnis iusta causa excusat. [3]) Quodsi eiusmodi causa adsit, non est obligatio petendi licentiam a parocho sponsae, quamvis deceat eum monere.

4. Matrimonia catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda.

V. Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat. [4]) Emolumenta stolae hic

---

[1]) Cfr: *Boudinhon*, n. 72; *Leitner*, p. 40.

[2]) *Beyersbergen* in Ned. Kath. Stemmen, 1916, p. 187.

[3]) Conc. Prov. Ultrai. anni 1865 p. 180 statuit: „Volumus servandum esse usum commendabilem huius Provinciae, matrimonium contrahendi coram parocho sponsae; a quo proinde assensus obtinendus erit, si coram parocho sponsi iniri velit." Haec lex quamvis non censeatur obligare sub gravi, maiori tamen rigore regulam urget, ita ut quaevis causa iusta ab ea non excuset. Neque haec lex particularis, quatenus strictior est lege communi, abrogata censeatur; siquidem dictae legi non contraria est, sed eam urget et promovet.

[4]) Iam iure Piano abrogata est poena suspensionis a Conc. Trid. (Cap. *Tametsi*, sess. 24 de ref. matrim.) statuta contra sacerdotes illegitime assistentes matrimonio.

intelliguntur ea, quae parocho *qua tali* ex celebratione matrimonii in illa paroecia debentur; ad quae non pertinent stipendium missae, dona ex amicitia a contrahentibus data etc. Porro poena consistit in eo quod stolae emolumenta proprio contrahentium parocho remitti debent. Est *latae* sententiae, et quum consistat in privatione iuris acquirendi, etiam ante sententiam declaratoriam incurritur. Respicit autem *solos parochos*, non *vero sacerdotes delegatos*. Etenim lex de *solis prioribus* sermonem facit; iamvero leges, quae poenam statuunt, strictae subsunt interpretationi (can. 19). Praeterea respicit eos solos parochos, qui sine licentia iure requisita, a. v. contra praescriptum can. 1097, § 1, 3⁰ matrimonio astiterint. Itaque non respicit parochum, qui violaverit can. 1032, i. e. qui interfuit nuptiis vagorum, recursu ad episcopum eiusve delegato neglecto, neque illum, qui matrimonio astitit, praetermisso sine iusta causa parocho sponsae.

Quaer. I. Cui emolumenta stolae cedenda sunt, si habentur plures parochi proprii?

Resp.: Ad mentem legislatoris statuendum videtur, parochum sponsae parocho sponsi praeferendum esse. Si sponsa plures parochos proprios habet, emolumenta stolae inter diversos dividantur, quia singulorum ius neglectum est (cfr. can. 1236, § 2).

Quaer. II. An ad restitutionem tenetur parochus, qui sine licentia iure requisita matrimonio astitit, at emolumenta stolae sine iusta causa partim aut integra remisit?

Resp. Negandum videtur. Etenim non tenetur vi legis ecclesiasticae, quae non intelligitur de fructibus non perceptis. Neque tenetur vi legis naturalis; siquidem alium non impedivit neque a bono, in quod iam ius habebat, neque medio iniusto a bono, in quod nondum habebat ius. Debet tamen restituere qui „eo usque fraudaverit ut, quae emolumenta stolae a contrahentibus darentur, ea sub alio titulo, v. gr. stipendii Missae, sibi exhibenda curaverit, quia sic virtualiter emolumenta stolae accepisse merito aestimatur; et ideo parocho contrahentium proprio remittere tenetur." [1])

[1]) *Van de Burgt-Schaepman*, n. 241.

§ 5. — De forma iuridica extraordinaria.

Canon 1098.

Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095, 1096:

1° *In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam;*

2° *In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.*

Spectato can. citato, matrimonium in duplici casu coram solis testibus valide et licite contrahi potest.

1. **Prior casus** habetur, si adsit mortis periculum et sacerdos competens sine gravi incommodo haberi vel adiri nequeat. Alia — puta ut per matrimonium conscientiae vel legitimationi prolis consuli possit [1]) — non requiruntur. Itaque:

1. Primum adsit mortis periculum. Non requiritur mortis *articulus* seu gravissimum eius periculum, sed sufficit grave, i. e. tale quale requiritur ad ministrandum viaticum. Neque refert, utrum periculum e morbo oriatur, an ex alia causa immineat, puta e naufragio, ex operatione periculosa subeunda. Denique sufficit, ut periculum immineat *alterutri* contrahenti.

2. Deinde requiritur, ut sacerdos competens sine gravi incommodo tempestive haberi vel adiri nequeat. Dixi *tempestive*, i. e. antequam aegrotus moriatur vel in tali statu versetur, ut sacramentum rite recipere nequeat. Hinc si minister in tali loco competens arcessi potest, id fieri debet. [2]) Pariter si minister in alio loco competens commode adiri potest,

[1]) Lex Piana statuebat: Imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus (Decr. *Ne temere*, VII).

[2]) S. C. C. 27 Iul. 1908, ad V.

coram illo contrahendum est; quod tamen in posita hypothesi (i. e. in periculo mortis) practice fieri nequit. Denique si facile haberi potest sacerdos per se non competens quidem, sed qui possit licentiam assistendi medio facili et ordinario, puta per litteras impetrare, coram illo nuptiae celebrandae sunt. Secus dicendum de usu telegraphi, quippe quod medium et extraordinarium et a S. Sede in impetrandis licentiis improbatum sit, eaque de causa praescriptum esse nequeat. Videlicet in Litteris encyclicis Secretarii Status ex speciali mandato Leonis XIII editis haec habentur: „Attentis incommodis quae iam acciderunt et denuo facile evenire possunt in excipiendis gratiarum petitionibus transmissis per telegraphum, S. S. praescripsit, ne deinceps, ex regula ordinaria, ulla S. Congregatio . . . eiusmodi preces medio memorato exhibitas admittat. Quum eaedem rationes quoad Curias episcopales etiam valeant, S. S. vult, ut Pastores dioecesani quoque se ad hanc praescriptionem conforment." Porro quod dictum est de telegrapho, id etiam telephonio applicari posse videtur. Idem satis probabiliter valet de usu automobilis, quod quamvis mediis improbatis impetrandi facultates non accenseatur, tamen ordinarium non est. Denique notetur, casum adesse, etiamsi occasio habendi sacerdotem competentem culpabiliter neglecta sit, modo hic et nunc occasio desierit. Ceterum notes:

a) Sufficit et requiritur impossibilitas *personalis. Sufficit*, ita ut non requiratur communis; *requiritur*, ita ut non sufficiat communis seu localis, personali exclusa (p. 40).

b) Impossibilitas physica vel moralis enasci potest ex defectu sacerdotis, ex eorum penuria, ex distantia, ex persecutione, ex epidemia, ex negligentia ministri, qui consuetas visitationes instituere detractat, ex fama poenitentis servanda,[1]) ex defectu medii facilis et ordinarii, quo licentia assistendi

[1]) V. g. Confessarius in confessione poenitentis graviter aegrotantis reperit, eum relationes perversas fovere cum persona, a qua non potest vel non vult separari, ita ut expediat, eos matrimonio iungi. In casu poenitens non tenetur concedere, neque confessarius a poenitente petere licentiam impetrandi delegationem, si conditio poenitentis ignoretur, et ex delegatione impetrata suspicio contra poenitentem deleganti incidere possit.

impetrari possit. Sufficit etiam incommodum grave *ministro*, si assistat, prudenter timendum. Controvertitur tamen, num casus adsit, si lex civilis sub poena prohibeat, quominus minister alicui matrimonio assistat; quae controversia, quam pertractatam vide p. 40, minoris momenti est, quatenus repicit periculum mortis, spectata scil. facultate dispensandi etiam in assistentia ministri. [1])

II. **Alter casus** — in quo matrimonium coram solis testibus contrahi potest — adest, si minister competens sine gravi incommodo haberi vel adiri nequeat, et prudenter praevideatur, eam rerum conditionem esse per mensem perduraturam. [2])

1. *Prior* conditio iam exposita est, ubi de casu priori sermo fuit (p. 37). Speciatim notes, etiam hoc casu sufficere et requiri impossibilitatem *personalem* habendi vel adeundi

---

[1]) Scilicet si urgeat mortis periculum et loci Ordinarius adiri nequeat, tum parochus, tum sacerdos, qui matrimonio ad normam can. 1098, n. 2 assistit, tum confessarius — sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum — possunt ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis dispensare tum a forma celebrationis matrimonii, tum ab omnibus impedimentis ecclesiasticis, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus. Excipiuntur impedimenta provenientia ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, si consummatum est matrimonium. Curandum tamen, ut ante dispensationis concessionem scandalum removeatur, et si agatur de dispensatione in cultus disparitate aut mixta religione, haec non concedatur, antequam consuetae cautiones praestitae sint (can. 1044, coll. can. 1043; S. Off. 18 Mart. 1891; 21 Iun. 1912). Quodsi pars acatholica debitas cautiones praestare renuat, pars autem catholica in periculo mortis constituta ex una parte promittat, se, si convaluerit, universae proli catholicae educandae pro viribus esse provisuram, in eis adiunctis videtur posse concedi dispensatio vel saltem ex epikeia ad matrimonium procedatur. Idque eo magis admittendum videtur, quod Ecclesia pluries permisit matrimonium invalide contractum convalidare, consuetis cautionibus praetermissis; quae circumstantia matrimonii *contracti* non videtur ita casum mutare, ut in positis adiunctis sententiam benignam ad matrimonium contrahendum extendere nequeamus, (cfr. Nouv. Rev. théol. 1913, p. 11).

Parochus aut sacerdos, qui matrimonio ad normam can. 1098, n. 2 assistit, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum (can. 1046).

[2]) Lex Piana statuebat: Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio *a mense iam perseveret*, matrimonium valide ac licite iniri potest, emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

ministrum competentem, ideoque non exigi communem [1]) sed sufficere personalem, at neque sufficere communem, personali exclusa. [2])

2. *Altera* conditio est, ut impossibilitas requisita prudenter praevideatur per mensem duratura. Hic autem quod ad temporis supputationem attinet, valent quae p. 33 notavimus, quaeque repetere iuvat. Scilicet quuum in casu terminus a quo assignatus sit, mensis sumitur prout est in calendario. Et quia terminus a quo non coincidit, vel saltem (a iure) non censetur coincidere cum initio diei, primus dies non computatur, et tempus finitur, expleto ultimo die eiusdem numeri. Quodsi mensis die eiusdem numeri careat, tempus finitur, expleto ultimo die mensis. Hinc si v. g. nupturientes inde a die 25 Mart. inciperent versari in adiunctis sub I expositis, et praeviderent, missionarium esse adventurum die 25 April., non possent valide contrahere coram solis testibus (can. 34, § 3, 1^0, 3^0, 4^0).

Quaer.: An matrimonium contrahi potest coram solis testibus, si minister sacer, spectata lege civili, poenae se exponeret assistendo?

Resp.: S. C. de Sacr. antea eo de casu interrogata d. 27 Iul. 1908, ad IX respondit, „non esse interloquendum". Porro a permultis affirmatum fuit, quia conditiones requisitae adesse censebantur, scil. impossibilitas habendi sacerdotem competentem, et tempus statutum. Impossibilitas quidem est a parte sacerdotis, sed canon expositus generatim dicit de impossibilitate habendi sacerdotem, quin addat, requiri eam quae sit a parte contrahentium. Accesserunt responsa S. C. de Prop. Fid. [3]) et S. C. de Sacr. [4]), quae utut particularia praedictam opinionem firmare videntur. Adde declarationem

[1]) Quocirca observes, vocem „in aliqua regione", quae in lege Piana reperiebatur, in nova lege esse praetermissam; quin ipsa etiam lex Piana ita fuit explicata, ut impossibilitas communis non exigeretur (S. C. de Sacr. 13 Mart. 1910, ad I et II).

[2]) Cfr. S. C. C. 21 Iul. 1908, ad V.

[3]) 24 Mart. 1909. „Parochus .... permittat, ut absque sua assistentia matrimonium ineant, sed tamen praesentibus tribus aut saltem duobus testibus integrae fidei."

[4]) 26 Nov. 1909. „Ordinarius .... permittat, ut absque praesentia parochi matrimonium in casu valide et licite iniri possit, emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus."

S. C. de Sacr.: [1]) „Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia sacerdotis competentis ad assistendum, *semper* ac, elapso mense, sacerdos competens haberi vel adiri nequit." Plures tamen — ut de defectu sacerdotis constaret — requirebant, ut parochus interpellaretur, utrum necne neglecto vetito civili, per se vel per alium matrimonio assistere vellet. Alii necessitatem interpellationis negabant, censebantque sufficere, ut parochus sine gravi incommodo nuptiis interesse nequiret. Postea vero haec sententia dubia evasit. Etenim S. C. de Sacr. d. 31 Iun. 1916, proposito casu ad hanc materiam pertinente, respondit: „Recurratur in singulis casibus, excepto casu periculi mortis, in quo quilibet sacerdos dispensare valeat etiam ab impedimento clandestinitatis, permittendo ut in relatis adiunctis matrimonium cum solis testibus valide et licite contrahatur." Porro, admissa sententia benigniori, recursus supervacaneus videri potest, quum necessitas contrahendi coram sacerdote competente cessaverit. Dixi tamen, praedictam sententiam solum *dubiam* evasisse; siquidem ex eo quod recursus praescribitur, non necessario deducitur, matrimonium, recursu neglecto, contractum *invalidum* esse. Verbo: S. Congr. normam practicam statuit, controversiam theoreticam probabiliter intactam reliquit.

Quid statuat lex civilis Neerlandica, in scholion exponemus.

Nota. Valori matrimonii non obstat, quod quis in fraudem legis sese contulit in regionem, ubi ministrum competentem habere vel adire nequit, modo ea rerum conditio prudenter praevideatur per mensem perduratura. [2]) Immo satis probabiliter per se ne illicite quidem agit, quia fas est ponere causam, qua quis a lege *eximatur*. Porro, positis conditionibus, potius eximitur quis a lege quam excusatur ab ea.

III. **In utroque casu servanda.** Quoad utrumque casum notentur haec:

1. Ad valorem requiritur, ut praesentia testium sit simultanea, physica et moralis, ut p. 16 expositum est.

2. In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos, qui

[1]) 13 Mart. 1910, ad I.
[2]) Cfr. S. C. de Sacr. 12 Mart. 1910, ad III.

adesse possit, hic vocari et una cum testibus matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus. Puto tamen, non esse obligationem vocandi *vitandum,* nisi in aliquo impedimento dispensandum foret.

3. Testes, qui assistunt, non tenentur requirere consensum contrahentium; neque *ad valorem* requiritur, ut illud faciat sacerdos non competens, si quis forte matrimonio intersit. Valori consultum est, si contrahentes coram testibus consensum emittant.

4. Pro adiunctis utiliter attendantur haec S. C. de Prop. Fid. ad Vic. Ap. Sinensem: „Tali casu parentes duos testes eligant qui una cum sponso et sponsa eorumque propinquis ad ecclesiam se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, charitatis, contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum matrimonium recte se disponant. Post haec surgentes sponsi coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et post actas gratias Deo domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur; postea vero, data opportunitate, et novi coniuges et testes missionarium adeant, ut ipsi de matrimonio rite inito legitime constet, et ab eodem benedictionem accipiant." [1])

5. Denique adiuncta eiusmodi esse possunt, ut, si deficiat qui possit in forma celebrationis dispensare, matrimonium ex epikeia etiam sine testibus celebrari possit, puta si quis secus *semper* aut *diutissime* a matrimonio ineundo abstinere deberet, vel gravis infamiae periculo exponeretur, vel, uti plures volunt, in gravissimo aeternae damnationis periculo versaretur. [2])

Quaestio. Quomodo practice procedendum, si ex una parte urgeat matrimonii celebratio, [3]) *ex altera autem minister religionis, spectata lege civili, assistendo sese exponeret periculo punitionis?*

R. 1. Si adsit mortis periculum, loci Ordinarius vel, si hic adiri nequeat, sacerdos competens (p. 39, nota) conce-

[1]) 23 Iun. 1830, C. P. F. n. 816.
[2]) S. Alf. Theol. mor. VI, 613; *Van de Burgt-Schaepman,* p. 294.
[3]) puta, si duo concubinarii nequeunt vel non volunt separari.

dat, ut matrimonium coram solis testibus contrahatur. [1])

R. 2. Extra mortis periculum „recurratur in singulis casibus", ut statuit S. C. de Sacr. (p. 41).

Scholion.

De lege civili Neerlandica.

Spectata quaestione p. 40 pertractata, iuvat investigare, utrum lex Neerlandica ministro sacro etiam prohibeat formam iuridicam, i. e. meram assistentiam et requisitionem consensus, an tantum interdicat ei peragere aliquam caeremoniam religiosam relate ad matrimonium, antequam illud civiliter contractum esse legitime constet.

Lex patria quod materiam subiectam statuit: Art. 136 cod. civ.: „Geene godsdienstige plegtigheden zullen vermogen plaats te hebben, voor dat de partijen aan den bedienaar van hunnen eeredienst zullen hebben doen blijken, dat het huwelijk ten overstaan van den ambtenaar van den burgerlijken stand is voltrokken". Et art. 449 cod. poen.: „De bedienaar van den godsdienst die, voordat partijen hem hebben doen blijken, dat haar huwelijk ten overstaan van den ambtenaar van den burgerlijken stand is voltrokken, eenige [2]) godsdienstige plechtigheid daartoe betrekkelijk verricht, wordt gestraft met geldboete van ten hoogste driehonderd gulden".

„Indien tijdens het plegen van de overtreding nog geen twee jaren zijn verloopen, sedert eene vroegere veroordeeling van den schuldige wegens gelijke overtreding onherroepelijk is geworden, kan, in plaats van de geldboete, hechtenis van ten hoogste twee maanden worden opgelegd."

Porro plerique theologi Neerlandici [3]) censent, omnem *caeremoniam religiosam* tantum, non autem *formam iuridicam* prohiberi. Nituntur autem primum sensu obvio vocis „eenige

[1]) Si iusta adsit causa, etiam in praesentia testium dispensari potest; sed passim eiusmodi causa deficiet.

[2]) Ante d. 15 Sept. 1886 is solus poenae obnoxius erat, qui *omnes* caeremonias religiosas matrimonii peragebat. Cfr. sententia summae Curiae, p. 44.

[3]) Ita v. g. *Vlaming*, Praelect. de iure matrim. t. I, n. 130, 192, 194, nota; *Cornelisse*, Theol. Mor. t. III, n. 581; *Schaepman*, Het burgerlijk huwelijk der Roomsch-Katholieken, p. 37, 41; *Van den Acker*, p. 86.

godsdienstige plechtigheid". Accedit sententia summae Curiae d.d. 22 Iul. 1850, ex qua pariter deducendum videtur, voce *godsdienstige plechtigheid* non venire quod ab Ecclesia relate ad essentiam matrimonii statutum est, i. e. formam iuridicam. Sententia memorata haec fuit: „Procéder aux cérémonies religieuses d'un mariage" in hunnen samenhang als uit het kennelijk doel van het geheele art. 166 (lees 199) C. P. volgt, dat daaronder moet worden verstaan, niet het verrichten van deze of gene godsdienstige plegtigheid, overeenkomende met of gelijkend naar een der plegtigheden, welke bij de godsdienstige viering van een huwelijk gewoonlijk plaats hebben, maar het bedienen van al die plegtigheden, welke volgens het voorschift of de gewoonte der kerk te zamen daarstellen de godsdienstige viering van een huwelijk. Mitsdien behoort te worden nagegaan, niet wat volgens de voorschriften der Trentsche kerkvergadering ten aanzien van het wezen van het huwelijk is bepaald, maar welke plechtigheden daartoe behooren volgens het Rituale Romanum." [1])

Attamen probabilius videtur, vocem *godsdienstige plechtigheid* ex mente legislatoris sensu latiori sumendam esse, a. v. etiam formam iuridicam ea prohiberi, ita ut minister religionis saltem periculo punitionis sese exponeret, etiamsi solum assisteret matrimonio. Etenim: 1° Legislator intendit praecavere matrimonia civiliter invalida, nimirum ob damna inde oriunda. [2]) Atqui finis ille solum obtinetur prohibendo, quominus matrimonium coram religionis ministro *contrahatur*, antequam civiliter contractum fuerit. 2° Ita censent plerique atque gravissimi iurisperiti. *Opzoomer:* „De priester mag niet *scheppen*, hij mag slechts wijden wat reeds door den staat geschapen is. In het belang der burgers is die bepaling onmisbaar. Zonder haar zou er, tengevolge der groote magt, die de kerk over het gemoed harer leden heeft, menige echt kerkelijk gesloten worden, die later, om de niet-erkenning door den staat, voor de echtgenooten en voor de kinderen de treurigste gevolgen zou hebben." [3]) *Land-Star Busmann:*

[1]) Ned. Pasicrisie, ed. anni 1895, p. 482, n. 49.
[2]) *Diephuis*, Ned. Burg. Regt, IV, p. 11; *Opzoomer*, Het Burg. Wetb. I, p. 122; *Schaepman*, o. c. p. 28 sq.
[3]) l. c.

„Het huwelijk wordt losgemaakt van de kerk; het wordt voltrokken door den ambtenaar van den burgerlijken stand, behoudens de volkomene vrijheid der partijen om een kerkelijk huwelijk te sluiten, indien zij dit wenschen. Evenwel is *dit kerkelijk huwelijk* verboden, tenzij eerst een burgerlijk huwelijk was voltrokken; art. 449 Strr. bedreigt met straf den bedienaar van den godsdienst, die daartegen mocht zondigen." [1]) *Asser-Scholten:* „Ten einde echter *geene huwelijksverbintenis volgens kerkelijk recht* zou kunnen plaats hebben, nevens, en in strijd met de huwelijken, welke volgens ons burgerlijk recht geldende zijn, moest men verder gaan en de kerkgenootschappen alleen vrijlaten in het *sluiten*, inzegenen of bevestigen van eene huwelijksverbintenis, wanneer de burgerlijke huwelijksvoltrekking is voorafgegaan; van daar de bepaling van art. 136 B. W. en de daarmede samenhangende strafbedreiging van art. 199 en 200 C. P., thans vervangen door art. 449, W. v. Strafr." [2]) *Noyon,* procurator generalis apud Summam Curiam: „Al heeft nu de wetgever de uit kanoniekrechterlijk oogpunt wellicht min juiste uitdrukking „plechtigheden tot het huwelijk betrekkelijk" gebezigd, al is hij misschien te ver gegaan door, zooals uit de memorie van toelichting blijkt, zoowel de eigenlijke plechtigheden als de huwelijksvoltrekking, de forma liturgica en de forma iurdicia beide in het artikel te betrekken, dat hij onder godsdienstige plechtigheden *de huwelijksvoltrekking zelve* begrijpt, schijnt mij ontwijfelbaar. [3]) Denique unus e iudicibus Summae Curiae haec mihi rescripsit: „Alleen de plechtigheden en niet *het huwelijk zelven* te weren, heeft zeker niet in de bedoeling gelegen. Ik geloof daarom, dat men zich wel aan gevaar blootstelt, zoo men zijn medewerking tot een kerkelijk huwelijk verleent, ook al bestaat die medewerking slechts in het tegenwoordig zijn."

Sententia Summae Curiae, quae obicitur quamque p. 44 allegavimus, ita intelligi potest: Ante annum 1886 poenae obnoxium erat: „procéder aux cérémonies religieuses d'un

[1]) Verklaring v. h. Burg. Wetb.[2] I, p. 84.
[2]) Handleiding tot de beoefening v. h. Ned. Burg. Recht[4], I, p. 141.
[3]) Het Wetboek van strafrecht, III. Suppl. p. 48.

mariage"; quocirca dubitari poterat, utrum ille solus puniendus esset, qui omnes caeremonias a Rituali Romano praescriptas, perageret, an ille quoque, qui unam tantum alteramve conficeret. Summa Curia priorem sensum admittit; sed eo nullatenus decernit, id quod ad essentiam matrimonii requiritur, non esse caeremoniam religiosam.

Ex dictis patet, quam merito Conc. Prov. Ultrai. statuerit: „Caveant parochi, ne eorum matrimonio intersint, qui antea coram civili magistratu civilis connubii actum non emiserunt. [1])

Ex expositis pariter deducitur, quaestionem p. 40 pertractatam etiam quod ad Hollandiam attinet magni momenti esse; siquidem ne forma matrimonii iuridica quidem sine periculo punitionis praestari potest, antequam matrimonium civiliter contractum est. Hinc etiam in nostris tractibus, si ex una parte matrimonii ecclesiastici celebratio urgeat, ex altera autem matrimonium civiliter contrahi nequeat, in eiusmodi adiunctis etiam in nostris tractibus, inquam, procedatur modo p. 42 exposito.

§ 6. — De iis, qui ad formam iuridicam tenentur.

Canon 1099.

§ 1. *Ad statutam superius formam servandam tenentur:*

1° *Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt;*

2° *Iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant.*

3° *Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis.*

§ 2. *Firmo autem praescripto § 1, n. 1, acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui*

[2]) p. 180.

ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.

I. **Subiecti formae.** Tenentur ad formam iuridicam matrimonii: 1° Baptizati in catholica Ecclesia, exceptis ab acatholicis natis, qui in Ecclesia catholica baptizati sunt, sed ab infantili aetate [1]) in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt; 2° Baptizati in secta haeretica vel schismatica et ad Ecclesiam catholicam conversi. Praedicti autem tenentur, etiamsi postea a catholica Ecclesia defecerint. Praeterea notes: Qui tenentur ad formam iuridicam matrimonii, eidem obnoxii sunt sive *inter se* contrahunt, sive contrahunt *cum aliquo, qui* (per se) *a praedicta forma immunis est.* [2]) Idque valet, etiamsi cum acatholico nuptias ineant post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus. Sequitur igitur, non valere principium, quod ante legem Pianam passim vigebat: *Pars immunis communicat cum altera parte suam immunitatem:* valere autem illud: *Pars ligata communicat cum altera parte suum ligamen.* Ceterum observes:

1. *Baptizati in catholica Ecclesia* censentur, qui baptizati sunt eo fine, ut Ecclesiae catholicae ascribantur; quod fit, si baptizantur in ordine ad catholicam Ecclesiam sive 1° ex propria intentione, sive 2° ex intentione etiam mere interpretativa utriusque vel alterutrius parentis aut alius, cui subditur infans baptizandus, etiamsi forte intentio baptizantis diversa sit, ut si infans parentum catholicorum in casu necessitatis ab obstetrice haeretica baptizaretur. Idem 3° videtur dicendum, si infans baptizatur in ordine ad Ecclesiam catholicam ex sola intentione legitime seu licite baptizantis, etiamsi qui infanti praesunt, dissentiant, ut si ancilla catholica baptizaret infantem infidelium in periculo mortis constitutum.

2. Ut videtur, non eximuntur a lege qui a *catholicis* nati et in Ecclesia catholica baptizati, ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione

[1]) I. e. iam ante septennium completum (can. 88, § 3).
[2]) Cfr. S. C. C. 28 Mart. 1908, ad I.

adoleverunt. Etenim lex de solis natis ab *acatholicis* dicit.

3. Qui in secta haeretica vel schismatica baptizati, sed ab infantili aetate a parentibus interim conversis in fide catholica educati sunt, lege tenentur, ubi primum rationis usum adepti catholicos sese ostenderint. Secundum alios simul cum parentibus ad Ecclesiam catholicam convertuntur. [1])

II. **Immunes a forma.** Non tenentur ad formam iuridicam matrimonii: 1° Non baptizati; 2° Baptizati in secta haeretica vel schismatica — etiam ritus Orientalis [2]) — nec ad Ecclesiam catholicam conversi; 3° Baptizati in catholica Ecclesia, sed ab acatholicis nati, et ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sina ulla religione educati; 4° Catholici ritus Orientalis. [3]) Advertas tamen, eos qui (per se) ad formam iuridicam non tenentur, tunc solum ei non esse obnoxios, si contrahant cum aliquo, qui pariter a forma immunis est. [4]) Secus, si contrahant cum persona, quae forma astringitur (p. 47).

Hic aliqui quaerunt, num validum sit matrimonium, quod post obtentam dispensationem in disparitate cultus contractum est, neglecta forma legis civilis ipso facto irritantis matrimonium sine forma initum. [5])

---

[1]) Cfr. *Vermeersch*, n. 87; *Schaepman*, p. 306; *Van den Acker*, p. 102.

[2]) S. C. C. 28 Mart. 1908, ad II; can. 1.

[3]) S. C. C. 1 Febr. 1908, ad I. Excipiuntur *Rutheni*, qui pertinent ad dioeceses provinciae Galicianae, nempe Leopolitanam, Premislensem et Stanislaopolitanam; ad quos S. C. de Prop. Fide 5 Maii 1911 decretum *Ne temere* extendit; item ex decreto S. C. de Prop. Fid. 18 Aug. 1913 *Rutheni Canadenses*, scilicet inde a die indicato ad decennium. Ad haec advertas, non omnes catholicos, qui habitant in Oriente, esse catholicos ritus Orientalis.

[4]) Si tamen cum eiusmodi persona matrimonium ineant, *semper* a forma catholica immunes sunt. Lex quidem edicit, ad catholicam matrimonii formam non teneri: 1° acatholicos, si *inter se* contrahant; 2° ab acatholicis natos, etsi in Ecclesia catholica baptizatos, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties *cum parte acatholica* contraxerint; verum ista non ita ad litteram sumantur, ut matrimonium a praedictis v. g. cum catholico ritus Orientalis sine forma catholica initum pro invalido habeatur.

[5]) Ex lege Neerlandica — quod notetur quoad matrimonia non baptizatorum utpote iurisdictioni civili obnoxia — matrimonium sine forma legitima contractum ipso facto nullum est (*Opzoomer*, Het Burg. Wetb. I, p. 128; *Diephuis*, Het Ned. Burg. Regt, IV, p. 104; *Asser-Scholten*, Handl. tot de beoef. v. h. Ned. Burg. Recht[4], I, p. 197. Alia impedimenta dirimentia — quod per transennam addiderim — passim

Plerique negant, [1]) quia pars non baptizata, utpote legi civili obnoxia, sine forma adhibita valide contrahere nequit. Iam vero, ut matrimonium validum sit, requiritur, ut utraque pars illud valide inire possit. Attamen contraria sententia, utut nullatenus certa, probabilitate non destituitur. Quum enim matrimonium fidelis prorsus subdatur Ecclesiae, atque ab ea plane regi possit, non improbabiliter dicitur, impedimentum legis civilis, quatenus respicit matrimonium infidelis *cum fideli* contrahendum, non valere vel saltem ab Ecclesia tolli posse. Verbo: potestas Ecclesiae in fidelem redundat in infidelem, quatenus hic *cum fideli* contracturus est. [2])

Scholion.

De matrimoniis in Imperio Germanico et in Regno Hungarico.

Ius Pianum (Decr. *Ne temere*, XI, § 2) decernebat, leges statutas vigere pro catholicis, etiamsi cum acatholicis sponsalia vel matrimonium contraherent, „nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum". Porro

---

ita intelligenda videntur, ut matrimonium cum tali impedimento initum valeat sed a iudice rescindi possit (cod. civ. art. 140 sq.; *Opzoomer*, o. c. p. 128; *Diephuis*, o. c. p. 104; *Asser-Scholten*, o. c. p. 196). Patet vero, illud a iudice fieri non posse.

Praedicta componi quidem nequeunt cum sententia, secundum quam lex nostra non respicit vinculum matrimoniale (*Van Gestel*, Studiën, 1894, p. 227; *Vlaming*, n. 130; *Aertnijs*, Theol. Mor.[8] VI, 522, qu. 3, nota). At ista sententia reicienda videtur. Quod deducitur 1° ex ipsa legis genesi. Etenim Nicolaï, principalis legis conceptae auctor, ita dicit: „*L'union naturelle* entre l'homme et la femme doit être soumise à des règles fixes.... Le projet de la loi, soumis à la discussion, contient ces règles" (*Voorduin*, Geschiedenis en beginselen der Ned. Wetboeken, II, p. 137). 2° Permulti legis articuli sensu obvio significant, ipsum vinculum a lege attingi. Cfr. v. g. artt. 85, 131, 135, 147, 254 sqq. Adversarii nituntur art. 83: „De wet beschouwt het huwelijk alleen in deszelfs burgerlijke betrekkingen." Verum, ut regni moderatores declarabant, articulus citatus eo fine propositus est, ut significaretur, „que le mariage est indépendant de toute religion" (Voorduin, o. c. p. 138). Hinc articulus ille id unum indicat, matrimonium non respici ceu rem *religiosam;* at rationem eius *naturalem* legislator non intendit excludere. Ita etiam *Opzoomer*, o. c. p. 121; *Asser-Scholten*, o. c. p. 141.

[1]) *Vlaming*, n. 134; *Van de Burgt-Schaepman*, n. 48; *De Becker*, De spons. et matrim. p. 44, etc.

[2]) Hanc sententiam propugnant *Resemans*, De competentia civ. in vinc. coni. infid. p. 2; *Gasparri*, in 3a ed. operis: Tract. can. de matrim. n. 306.

S. C. C. [1]) declaravit, ista clausula „comprehendi tantummodo Constitutionem *Provida;* non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SS^mo et ad mentem". [2]) Itaque abrogata erant et Declaratio Benedictina et alia particularia, quae circumferebantur statuta, unaque tantum vigere pergebat exceptio, scil. ea quam pro Imperio Germanico statuerat Const. *Provida;* quae quidem Constitutio, d. 18 Ian. 1906 edita et a die 15 Apr. 1906 vigens, d. 27 Febr. 1909 ad regnum Hungariae extensa est. [3])

Praedicta Const. decernit:

1^0 Ut caput *Tametsi* a die Paschatis 15 April. 1906 omnes catholicos ita constringat, ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium contrahere possint.

2^0 Ut matrimonia mixta, quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis clandestine contrahuntur, valida sint, dummodo non aliud obstet impedimentum. Attamen, dispensatione licet impetrata, graviter illicitum manet clandestine contrahere.

3^0 Ut matrimonia mixta, in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis usque ad 15 April. 1906 invalide contracta, in radice sanentur, „dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni (i. e. ante diem 15 April. 1906) legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit".

Ut autem exceptio quoad *Germaniam* rite intelligatur, haec notanda:

I. Exceptio respiciebat hodiernum Imperium Germanicum

[1]) 1 Febr. 1908, ad IV.

[2]) „Mens est, ut scribatur Episcopis Germaniae, ut perpendere velint graviora incommoda, quae proveniunt ex matrimoniis mixtis: et hinc supplicare SSmo, ut tempore opportuno abrogare Constitionem *Provida* dignetur" (*Il Monitore ecclesiastico*, 1909, p. 204).

Archiepiscopo Ultraiectensi et Episcopis Harlemensi, Buscoducensi et Bredanensi — qui rogaverant, ut Declaratio Benedictina pro Hollandia persisteret — d. 6 April. 1908 responsum est: „Servetur Decretum *Ne temere.*" Denique S. C. C. 8 Iul. 1908 declaravit, privilegia, quae in imperio Russiaco et regno Poloniae vigebant, abrogata esse (A. A. S. 1909, p. 505).

[3]) Decretum S. C. de Sacr. huc spectans d. 23 Febr. 1909 a S. Pontifice approbatum, et d. 27 Febr. eiusdem anni editum, refertur in litteris circularibus Episcopi de Raab in Hungaria (1909).

stricte dictum (i. e. 25 regna sive principatus et Alsatiam-Lotharingiam), adeo ut excluderentur loca, quae solummodo sub protectione Germaniae sunt atque praedictum Imperium non constituunt. [1])

II. Exceptio valebat pro solis matrimoniis, nequaquam vero pro sponsalibus; quandoquidem Constitutio *Provida*, cui exceptio innitebatur, de solis matrimoniis sermonem facit.

III. Exceptio diversa ratione viguit, prout sequitur:

1. Vox catholicorum, haeriticorum et schismaticorum usque ad declarationem S. C. C. d.d. 1 Febr. 1908 sumenda erat sensu ante decretum *Ne temere* recepto, qui sensus patet ex responso a S. Off. d. 6 April. 1859 dato ad quaesitum Episcopi Harlemensis: „An, pro intelligentia celebris Declarationis Benedicti XIV pro Hollandia, comprehendi possint sub nomine haeretici quinque classes: 1. Illi, qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in haeresi educantur, ac haeresim profitentur; 2. Qui non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato; 3. Qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes haereticae sectae adiunguntur; 4. Apostatae ab ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes; 5. Qui nati et baptizati ab haereticis adoleverunt, quin ullam solemnem haereseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis, etc. Igitur quid sentiendum de istorum matrimoniis cum parte catholica initis"? Responsum est: „Ad effectum matrimonii supra memoratos comprehendi in laudata Benedicti XIV declaratione." A die 1 Febr. 1908 vox catholicorum, haereticorum et schismaticorum sumenda est, ratione habita interpretationis S. C. C., quae dicta die respondit: „Ad V. Affirmative", ad dubium: „Num in imperio Germaniae catholici, qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem catholicam ab ea postea defecerunt, etiam in iuvenili vel infantili aetate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debent formam

[1]) *Knecht*, p. 32.

in decreto *Ne temere* statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus."

2. Die 28 Mart. 1908 exceptio restricta est ad eos solos, qui nati sunt in Germania ibique matrimonium contrahunt. Sufficiebat tamen, ut alteruter contrahens in ea natus esset. Scilicet S. C. C. d. 28 Mart. 1908 ad dubium: „Num exceptio, per Const. *Provida* in Germania inducta, censenda sit uti mere localis aut etiam personalis" respondit: „Ad III. Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum SSmo". Suffecisse, ut alteruter in Germania natus esset, sequitur ex casu a S. Off. d. 4 Aug. 1914 soluto. [1]) Natis autem in Germania eos etiam accensemus, qui nati sunt sive in aliquo statu Germanico, antequam Imperium Germanicum constitutum fuerit (18 Ian. 1871), sive in Alsatia, antequam haec provincia per pacem Francoforti (10 Maii 1871) in Germaniam transierit.

3. Die 18 Iun. 1909 exceptio a S. C. de Sacr. [2]) restricta est — quae restrictio d. 1 Iul. 1909 in A. A. S. est promulgata — ad matrimonia in Germania vel Hungaria contracta, quorum uterque contrahens in Germania (vel Hungaria) natus est, a. v. ex praedicta declaratione requirebatur, ut ambo contrahentes nati essent in Germania et in Imperio Germanico matrimonium inirent. Idem vi eiusdem declarationis valebat pro Hungaria. Itaque non sufficiebat, ut duo nati in Germania contraherent in Hungaria vel duo nati in Hungaria contraherent in Germania. Neque sufficiebat, ut pars nata in Germania cum parte nata in Hungaria in alterutro regno contraheret. Non tamen videtur ad valorem requisitum fuisse, ut uterque vel alteruter domicilium aut menstruam commorationem in Germania vel in Hungaria haberet. Deducendum videtur ex declarationibus S. C. C. d.d. 28 Mart. ad III, et S. C. de Sacr. d.d. 18 Iun. 1909, quae de eiusmodi requisito tacent. Accedit quod necessitas domicilii vel menstrua commorationis ad valorem matrimonii indoli novae

[1]) *Theol.-prakt. Quartalschrift*, 1915, p. 126; *Ned. Kath. Stemmen*, 1915, p. 361.
[2]) Ad I, II et III.

legislationis prorsus adversatur. Hinc censemus, dispositionem Const. *Provida* contentam, sub hoc respectu extensam fuisse.[1]) Denique nihil prohibebat, quominus nati in Germania (vel in Hungaria) ibidem per procuratorem matrimonium contraherent, utut ipsimet extra Germaniam versarentur. Etenim quamvis in casu gratia sacramenti extra Germaniam reciperetur, tamen ritus externus, quem Ius primario respicit, in Germania ponebatur.

IV. Denique, spectato can. 6, 1°, Const. *Provida*, utpote *lex* (particularis) contraria canoni 1099, inde a die Pentecostes (19 Maii) 1918 abrogata est. Dixi „utpote *lex* particularis", quia praedicta Constitutio directe magis intuitu boni communis quam respectu commodi privati condita erat, ideoque lex potius quam privilegium erat dicenda. Accedit quod Card. Gasparri, Praeses Pontificiae Commissionis ad codicis canones authentice interpretandos, ad dubium S. Sedi propositum: — „Utrum Const. *Provida* d. 18 Ian. 1906 tanquam lex particularis praescripto can. 1099 opposita, iam ad normam can. 6, 1° abrogata sit; an vero tanquam privilegium vel indultum ad normam can. 4 integra maneat"; — d. 30 Mart. 1918 respondit: „Abrogata est." [2])

Quoad *Hungariam* notes:

I. In Hungaria a die 19 April. 1908 usque ad 27 Febr. 1909 Decretum *Ne temere* pleno ambitu vigebat.

II. Die 27 Febr. 1909 ibidem introducta est Const. *Provida* seu exceptio pro Germania vigens ad Hungariam extensa est (p. 50, nota 3). Porro exceptio data citata inducta est talis qualis tunc in Regno Germanico vigebat, scilicet voce catholicorum, haereticorum et schismaticorum sumpta ad normam interpretationis S. C. C. d.d. 1 Febr. 1908 (p. 51), et exceptione restricta ad natos in Hungaria [3]) ibique matri-

---

[1]) Cfr. *Van Grinsven*, Theol.-prakt. Quartalschrift, 1913, p. 133.

[2]) *Ned. Kath. Stemmen*, 1918, p. 190.

[3]) „Nomine regni Hungarici venit non modo Hungaria proprie dicta cum Transsylvania, sed etiam partes eidem annexae, seu omnes terrae ad coronam S. Stephani pertinentes, ac proinde etiam Croatia, Slavonia, Civitas Huminensis (Fiume); omnia itaque loca sub regimine regis Apostolici nunc constituta." (*Litterae circulares* a Secretario S. C. de Sacr. d. 16 Mart. 1909 datae ad Episcopos Hungariae).

monium contrahentes, ita tamen, ut satis esset, alterutrum ibidem natum esse (p. 52).

III. Die 18 Iun. 1909 exceptio restricta est ad matrimonia in Hungaria contracta, quorum uterque contrahens in Hungaria natus est, ibique matrimonium init.

IV. Denique d. 19 Maii 1918 exceptio sublata est (p. 53).

Nota. Matrimonia mixta in Regno Hungariae a die 19 April. 1908 usque ad diem 23 Febr. 1909 clandestine contracta in radice sanata sunt, dummodo nullum aliud dirimens impedimentum obstaret et consensus usque ad 23 Febr. 1909 perseverasset. Patet ex rescripto, quo Const. *Provida* ad Hungariam extensa est (p. 50, nota 3).

Articulus II.

De forma liturgica.

Formam liturgicam constituunt tam ritus *celebrationis* quam ritus *benedictionis* seu *benedictio nuptiarum sollemnis* ut dicitur.

§ 1. — De ritu celebrationis.

Canon 1100.

Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti.

Ritus ex Rituali Romano [1]) servandus hic est:

Parochus superpelliceo et alba stola [2]) indutus virum et mulierem de consensu interroget, utrumque singillatim in hunc modum vulgari sermone: *N. Vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae?* Respondeat sponsus: *Volo.* Mox sacerdos sponsam interroget: *N. vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum maritum iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae?* Respondeat sponsa: *Volo.*

Mutuo consensu intellecto, sacerdos iubeat eos invicem

[1]) Tit. VII, cap. 2.

[2]) Si immediate post absolutum celebrationis ritum Missa sequitur, sacerdos praeter albam et stolam etiam planetam induat (S. R. C. 31 Aug. 1867, ad III, n. 3158).

iungere dexteras, dicens [1]); *Ego coniungo vos in matrimonium. In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Postea eos aspergat aqua benedicta.

Mox benedicat annulum. [2]) Deinde Sacerdos aspergat annulum aqua benedicta in modum crucis; et sponsus acceptum annulum de manu Sacerdotis, imponit in digito annulari sinistrae manus sponsae, Sacerdote dicente: *In nomine Patris †, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Mox subiungat versiculos et Orationem „Respice". [3])

His expletis, si benedicendae sint nuptiae, Parochus Missam pro Sponso et Sponsa, ut in Missale Romano, celebret, servatis omnibus quae ibi praescribuntur. [4]) De ritu dictae benedictionis nunc dicendum.

§ 2. — De ritu benedictionis seu de benedictione nuptiarum sollemni.

Canon 1101.

§ 1. *Parochus curet ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest, etiam postquam diu vixerint*

---

[1]) Vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum (Rit. Rom. l. c.). Si plures simul nuptias ineunt, requisitio et exceptio consensus, item formula: *Ego coniungo vos in matrimonium* etc. pro singulis repeti debent (S. Off. 1 Sept. 1841, n. 7, C. P. F. n. 938). Cum, matrimonio valide contracto, postea ritus suppletur, interrogatio de consensu et formula: *Ego coniungo* etc. omitti debent (Instr. S. C. de Prop. Fid. 1806; 21 Iul. 1841, ad 4, C. P. F. n. 1551).

[2]) Benedictio annuli non est omittenda in *secundis* nuptiis (S. R. C. 27 Aug. 1836, ad II, n. 2743), etiamsi idem annulus iam fuisset adhibitus et benedictus in ordine ad *aliud* matrimonium. „Quando plures simul copulantur .... nihil obstat quominus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia" (S. Off. 1 Sept. 1841, 7, C. P. F. n. 938). Si annulus nuptialis amittatur vel frangatur, novus eadem Ritualis Rom. forma benedici potest. In non paucis aliis dioecesibus, v. g. in Germania et in Oriente pro *unoquoque coniuge* annulus benedicitur. In Ecclesia Occidentali *materia* annuli non reperitur praescripta; apud Graecos usu receptum est, ut annulus *mariti* sit *aureus, sponsae* vero *argenteus* (*Wernz*, n. 190, nota 278).

[3]) „E Supplemento ad idem Rit. Rom., pro usu cleri provinciae ecclesiasticae Ultraiectensis a S. Sede concesso, parochus, si ipse Missam celebraturus mox est, pro superpelliceo cum stola induitur amictu, alba, cingulo et stola coloris albi; si vero Missa cum benedictione nuptiali non sequitur, parochus, terminata oratione „Respice" ad terminandum dicit: „Benedictio Dei omnipotentis" ... etc. Insuper, sive Missa sequatur sive non, tum in principio quum in fine totius caeremoniae, sponsos aqua benedicta aspergens, dicit: „Aspergat vos Deus rore gratiae suae in vitam aeternam. Amen." (*Vlaming*, n. 526).

[4]) Rit. Rom. l. c. n. 4.

in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato.

§ 2. *Sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere.*

I. **Notio benedictionis sollemnis.** Benedictio nuptiarum sollemnis, quae reperitur in Missa inscripta „Missa pro sponso et sponsa", constat tribus orationibus scilicet „Propitiare", „Deus qui potestate", et „Deus Abraham". Duae priores dicuntur immediate post „Pater noster", tertia ante orationem „Placeat tibi, S. Trinitas".

II. **Obligatio benedictionis sollemnis.** Fidelibus videtur esse obligatio benedictionem sollemnem requirendi occasione matrimonii vel postea. Parocho autem incumbit obligatio curandi, ut fideles eam tempore nuptiarum vel brevi post recipiant. Utriusque tamen obligatio levis tantum est; immo si coniuges iam diu in matrimonio vixerint, vera obligatio videtur deesse. Singula explanabimus. [1])

1. *Fidelium obligatio* deducenda videtur ex responso S. Off. [2]) quod, spectato casu, quo matrimonium sine benedictione sollemni contractum erat, respondit: „Coniugatorum dispositio se praestandi . . . . ut nuptialem benedictionem consequantur, laudari meretur, non . . . . quod haec pro validitate ipsorum matrimonii . . . . necessaria sit, sed potius ut . . . . satis faciant Ecclesiae *praecepto*, implorandi a proprio sacerdote earum *nuptiaram benedictionem.*"

2. *Parocho obligatio* sequitur ex obligatione fidelium; item ex Rit. Rom., [3]) ex can. 1101, § 1 et ex pluribus responsis S. Congregationum. [4])

3. *Obligationem levem tantum esse*, satis communiter admittitur. [5]) *Veram* autem *obligationem abesse*, si coniuges iam diu in matrimonio vixerint, deducendum videtur ex hisce can. 1101, § 1: „quae dari eis *potest* etiam postquam diu

[1]) Cfr. *Beyersbergen*, in Ned. Kath. Stemmen, 1918, p. 146.
[2]) S. Off. 6 Iul. 1817, C. P. F. n. 725.
[3]) Tit. VII, cap. I, n. 15.
[4]) S. C. de Prop. Fid. 21 Sept. 1843, ad II, C. P. F. n. 971; S. Off. 31 Aug. 1881, C. P. F. n. 1557.
[5]) *S. Alf.* Theol. Mor. VI, 988.

vixerint in matrimonio." Si tamen petatur, parochus tenetur eam concedere. [1])

III. **Quibus diebus potest sollemnis benedictio concedi?** Benedictio sollemnis semper concedi potest, excepto:

1. *Tempore feriato* (can. 1101, § 1) i. e. a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive (can. 1108, § 2). Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant (can. 1108, § 3). [2])

2. In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam: in hisce enim Missa semper omitti debet (can. 1102, § 2), extra Missam vero benedictio sollemnis concedi nequit (can. 1101, § 1).

3. Si agitur de muliere, cui semel benedictio sollemnis data est (can. 1143).

4. Si una tantum Missa celebratur in die, quo dici debet Missa funeralis, quae differri nequit. [3])

5. In loco, qui interdicto generali (can. 2271, 2⁰) et in ecclesia parochiali, quae interdicto particulari obnoxia est (can. 2272, § 3, 2⁰).

IV. **Quis potest sollemnem benedictionem concedere?** Sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere (can. 1101, § 2). Quamvis littera legis neminem excipiat, qui possit nuptiis valide et licite interesse, licet tamen dubitare, num *delegatus* ad assistendum matrimonio possit per alium benedictionem nuptialem concedere (cfr. Trid. sess. XXIV de ref. matrim. c. 1; can. 462, 4⁰). Ceterum non prohibetur, quominus unus matrimonio intersit, alter Missam celebret idemque — non alius v. g. diaconus — benedictionem sollemnem impertiat. [4])

---

[1]) S. Off. 31 Aug. 1881, C. P. F. n. 1457.

[2]) Nimiam pompam utique secum fert sollemnis traductio sponsae, i. e. ea quae cum specialibus laetitiae signis, v. g. cum choreis et musica coniuncta est (*Wernz*, n. 547).

[3]) S. Off. 3 Sept. 1817, C. P. F. n. 726.

[4]) S. Off. 1 Sept. 1841, 5⁰, C. P. F. n. 938.

V. **Servanda in benedictione sollemni concedenda.**

1. Secluso indulto apostolico, benedictio sollemnis dari nequit nisi infra Missam (can. 1101, § 1). Quaevis consuetudo contraria pro abusu habenda est. [1]) Infra Missam vero dari potest, etiamsi sponsi infra eam S. Communionem non recipiant. Adhortandi tamen sunt, ut in ea communicent. [2])

2. Diebus, quibus Missa votiva „pro sponso et sponsa" permittitur, *haec* dici debet, [3]) atque illicitum est benedictionem nuptialem Missae officii diei adiungere. Porro Missa illa votiva semper permittitur, exceptis: 1⁰ *Tempore feriato;* 2⁰ Dominicis, festis de praecepto et aliis festis duplicibus I et II classis, totis octavis privilegiatis I et II Ordinis, vigiliis privilegiatis; [4]) 3⁰ die Commemorationis omn. fid. defunct.; [5]) 4⁰ diebus Rogationum, in ecclesiis parochialibus, si una tantum Missa celebretur et processio instituatur. [6]) Praeterea si Ordinarius loci tempore feriato benedictionem nuptialem permittat, etiam praedicto tempore Missa votiva pro sponsis celebrari potest, exceptis tamen denuo Dominicis, festis de praecepto et aliis festis duplicibus I et II classis, feriis privilegiatis et vigilia Nativitatis Domini. [7])

Quoad *ritum* servandum in Missa „pro sponso et sponsa" notamus: Est Missa *votiva privata*, in colore albo, sine Gloria et Credo, cum tribus orationibus praeterquam in duplicibus, in quibus fiunt tantum commemorationes occurrentes et omittitur 3ª oratio de tempore. *Praefatio* sumatur propria

---

[1]) S. R. C. 25 Sept. 1875, ad I, n. 3380.

[2]) S. R. C. 21 Mart. 1874, n. 3329; 30 Iun. 1896, VI, n. 3922. Conc. Prov. Ultrai. pariter exoptat, ut sponsi in illa Missa Eucharistico cibo reficiantur (p. 181).

[3]) S. R. C. 23 Iun. 1853, ad I, n. 3016; 30 Iun. 1896, VI, n. 3922; Rit. Rom. tit. VII, cap. 2, n. 4.

[4]) S. R. C. 30 Iun. 1896, VI, n. 3922; 14 Iun. 1918, ad II et III.

Inter duplicia I classis etiam annumeratur Triduum Sacrum Maioris Hebdomadae.

Octavae privilegiatae I ordinis sunt: Octavae Paschatis et Pentecostes; II ordinis: Octavae Epiphaniae et Corporis Christi.

Feriae privilegiatae sunt: Feria IV Cinerum et feriae II, III et IV Maioris Hebdomadae.

Vigiliae privilegiatae I classis sunt: Vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes; II classis: Vigilia Epiphaniae.

[5]) S. R. C. 28 Febr. 1917.

[6]) S. R. C. 12 Nov. 1831, ad 35, n. 2682.

[7]) S. R. C. 14 Iun. 1918, ad II.

officii, cuius commemoratio primo fit; secus praefatio propria de tempore; ea deficiente, praefatio communis. In fine *Benedicamus Domino* et Evangelium S. Ioannis, nisi sit commemoratio feriae maioris vel Vigiliae, quae habent Evangelium proprium. Si Missa cantetur, id fieri debet in tono feriali. [1])

3. Cum prohibetur Missa „pro sponso et sponsa," permittitur autem benedictio nuptialis, haec adiungitur Missae officii diei. In qua Missa fit commemoratio Missae „pro sponso et sponsa", etiam in festis I classis; atque quidem sub unica conclusione, diebus Nativitatis Domini et Dominicae Resurrectionis. [2]) Secus — saltem quamdiu persistit decretum sub nota 3 relatum — illa commemoratio dicenda est sub altera conclusione et post alias commemorationes praeceptas, ante orationem imperatam. [3]) At benedictio nuptialis nunquam adiungi potest Missae *de Requiem*. [4])

4. Non requiritur, ut Missa, infra quam benedictio nuptialis impertitur, sponsis applicetur, si illi stipendium non dederint. [5])

5. Infra eamdem Missam plures benedictionem nuptialem recipere possunt, formulis benedictionis immutatis et semel tantum prolatis. [6])

6. Si benedictio nuptialis in matrimonii celebratione omissa est, nequit postea suppleri, nisi ambo coniuges praesentes sint. [7])

7. Benedictione sollemni tempore feriato praetermissa, necesse non est, dictam benedictionem differri ad diem, quo Missa votiva „pro sponso et sponsa" secundum regulas rubricarum permittitur. [8])

---

[1]) Cfr. *Aertnys*, Compendium Liturg. Sacr.[8] n. 135.
[2]) S. R. C. 14 Iun. 1918, ad I.
[3]) S. R. C. 30 Iun. 1896, ad VI, n. 3922.
[4]) S. Off. 1 Sept. 1841, 6°, C. P. F. n. 938.
[5]) S. Off. 1 Sept. 1841, 3°, C. P. F. n. 938.
[6]) S. Off. 1 Sept. 1841, n. 4 et 7, C. P. F. n. 938.
[7]) S. R. C. 27 Maii 1911, ad VII, n. 4269.
[8]) S. R. C. 27 Maii 1911, ad VI, n. 4269.

Articulus III.

De forma celebrationis matrimonii inter partem catholicam et partem acatholicam.

Canon 1102.

§ 1. *In matrimoniis inter partem catholicam et partem acathoticam interrogationes de consensu fieri debent secundum praescriptum can. 1095, § 1, n. 3.*

§ 2. *Sed omnes sacri ritus prohibentur; quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere.*

I. **Forma iuridica.** Matrimonia inter partem catholicam et partem acatholicam eidem formae iuridicae subiciuntur ac matrimonia inter catholicos, non exclusa interrogatione de consensu.

Disputatur, utrum necne persistat dispositio, inducta per decretum d. 21 Iun. 1912 a S. Off. prolatum, d. 23 Iun. 1912 a Pio X approbatum et d. 1 Iul. eiusdem anni in Act. Apost. Sed. promulgatum, dispositio, inquam, vi cuius requisitio et exceptio consensus in aliquibus locis aliquando a ministro assistente omitti possunt.

Secundum alios [1]) dicta dispositio — mox magis exponenda — vi can. 6, 1° sublata est, utpote *lex* (particularis) contraria can. 1102, § 1. Secundum alios [2]) persistit, quia eorum opinione *instructio pro casibus specialibus* potius quam lex dicenda est.

Porro, spectatis decreto S. Off. [3]) eiusque interpretatione d. 5 Aug. 1916 ab eadem S. Congr. edita:

1. Exceptio respicit matrimonia mixta, quae ineuntur:

---

[1]) *Salsmans*, Praecipuae variationes, n. 497 et 520.
[2]) *Schaepman*, p. 72; *Schmitt*, supplementum, n. 654.
[3]) Decretum statuit: „praescriptionem decreti *Ne temere*, n. IV, § 3, de requirendo per parochum excipiendoque, ad validitatem matrimonii, nupturientium consensu, in matrimoniis mixtis in quibus debitas cautiones exhibere pervicaciter partes renuant, locum posthac non habere; sed standum *taxative* praecedentibus Sanctae Sedis ac praesertim s. m. Gregorii PP. XVI (Litt. app. diei 30 Aprilis 1841 ad episcopos Hungariae) ad rem concessionibus et instructionibus: facto verbo cum SSmo."

1° sine datis cautionibus et 2° in eis adiunctis et 3° regionibus, pro quibus a S. Sede assistentia mere passiva positive concessa erat. Regiones istae sunt: Hungaria, Bavaria, quaedam partes Austriae et aliae secundum documenta allata apud *Nouv. Rev. théol.* t. XV, p. 510 sq.

3. Exceptio sine expressa concessione S. Sedis nequit extendi ad alia adiuncta; neque ad alia loca, etiamsi eadem habeatur conditio rerum. Matrimonia extra adiuncta vel loca assignata sine interrogatione de consensu contracta irrita sunt.

3. Exceptio non habebat vim retroactivam, ita ut matrimonia ante decretum sine requisito consensu celebrata invalida sint; neque per decretum in radice sanata sunt.

Quaestio. Quaenam servanda sunt, ut convalidetur matrimonium inter partem catholicam et partem acatholicam, quod ob neglectam formam iuridicam [1]) *invalidum est?*

R. Praestitis cautionibus consuetis et obtenta dispensatione ab impedimento disparitatis cultus vel mixtae religionis, utraque pars consensum emittat coram parocho (locive Ordinario vel delegato ab alterutro) et testibus (can. 1137). [2])

---

[1]) Si pars acatholica non est baptizata, matrimonium etiam ob impedimentum disparitatis cultus non sublatum invalidum est.

[2]) In eiusmodi casu partes per se statim separari debent, ratione tam publici scandali quam periculi; verum si solam separationem, non autem matrimonii convalidationem detractent, ob eam causam parochus ipsis providere non omittat, addita tamen praedicta circumstantia in litteris supplicibus. Praeterea, obtenta dispensatione, clausula de removendo scandalo observetur.

Ad haec parochus curet, ut pars catholica, antequam ineat matrimonium, a censura, si quam contraxerit, et a peccatis absolvatur. Ut autem absolvatur, oportet poeniteat eam non *ipsius matrimonii* quidem, sed *modi illiciti*, quo illud contraxit. Practice ad *communionem*, saltem publice, non admittatur, antequam matrimonium convalidatum sit.

Dixi, partem catholicam a *censura*, si quam contraxerit, absolvendam esse; siquidem qui ineunt matrimonium coram ministro acatholico uti sacris addicto (non uti magistratu civili), incurrunt in excommunicationem Ordinario reservatam (can. 2319, § 1, 1° et can. 1063, § 1 et 3). Quoad poenam istam, collatis diversis canonibus, notentur haec:

a) Excommunicatio non contrahitur ab eis, qui eam ignorant, modo ignorantia non sit crassa vel supina vel affectata (can. 2229, § 1 et 3, 1°); quod tamen non impedit, quominus, si res in foro externo tractetur, exigatur absolutio a censura.

b) Quodsi censura contracta sit, sed delictum manserit occultum, absolutio *in foro externo* non requiritur, sed sufficit absolutio *in foro conscientiae:* immo haec absolutio *semper* etiam pro foro externo valet,

Quodsi pars acatholica renuat praestare cautiones debitas vel nolit neque per se neque per procuratorem renovare consensum coram ministro competente et testibus, nihil superest, nisi ut petatur sanatio in radice. [1]) Practice res deferatar ad Ordinarium loci, qui iudicet, quid visis adiunctis peragere expediat.

II. **Forma liturgica** seu ritus sacri ex integro praetermitti debent. Potest tamen Ordinarius ad graviora mala praecavenda aliquam ex consuetis caeremoniis ecclesiasticis permittere, exclusa semper Missae celebratione. Itaque:

1. Prohibentur i. a. 1^0 usus vestis sacrae v. g. superpellicei et stolae, non autem togae talaris, cinguli serici et vestium consuetarum praelatitiarum. 2^0 Concio, non autem quaedam verba hortatoria per modum merae allocutionis. [2]) 3^0 Benedictio annuli. 4^0 Benedictio nuptiarum.

2. Ordinarius potest aliquam permittere caeremoniam ad graviora mala vitanda, puta si secus timendum foret, ne sponsi adirent ministellum haereticum, ne cautiones negligerent, ne pars catholica ad sectam haereticam transiret. [3]) At Missae celebratio semper excludi debet. Nomine autem celebrationis Missae non tantum venit Missa „pro sponso et sponsa" cum suis orationibus et benedictionibus, sed etiam Missa privata, quae post matrimonium coram sponsis et comitibus eorum ita celebretur (licet sponsis non detur distincta sedes), ut ea haberi debeat tamquam complementum caeremoniae matrimonii. [4])

---

nisi Ordinarius aliam pro foro externo absolutionem exigat (can. 2237, § 2 et can. 2251).

c) Absolutione concessa pro foro externo, nihil iam prohibet, quominus simplex confessarius reum a peccatis absolvat. (*S. Off.* d. 29 Aug. 1888 et d. 18 Maii 1892; *S. Poenit.* d. 27 Iun. 1893, ad Epp. Bavariae; cfr. casus annalogus in can. 2314, § 2).

[1]) S. Off. 22 Dec. 1916 (A. A. S. 1917, p. 13); cfr. can. 1138.

[2]) Cfr. *Vlaming*, n. 173.

[3]) S. C. de Prop. Fide 4 Dec. 1862 ad Vic. Apost. Mayssurii.

[4]) S. Off. 17 Ian. 1872, C. P. F. ad I, n. 1379.

Scholion.

De tempore et loco celebrationis matrimonii.

(Canon 1108—1109).

Can. 1108, § 1. *Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest.*

§ 2. *Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive.*

§ 3. *Ordinarii tamen locorum possunt salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant.*

Can. 1109, § 1. *Matrimonium inter catholicos celebretur in ecclesia paroeciali; in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico, nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi celebrari poterit.*

§ 2. *Matrimonium in aedibus privatis celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper iusta ac rationabili causa permittere possunt; sed in ecclesiis vel oratoriis sive Seminarii sive religiosarum, Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis.*

§ 3. *Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam extra ecclesiam celebrentur; quod si Ordinarius prudenter iudicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti eius arbitrio committitur hac super re dispensare, firma tamen praescripto can. 1102, § 2 (cfr. p. 60).*

Articulus IV.

De matrimoniis inscribendis.

Canon 1103.

§ 1. *Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus vel a proprio*

Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2. *Praeterea, ad normam can. 470, § 2, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur.*

§ 3. *Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur.*

I. **Inscriptio in libro matrimoniorum.** § 1 can. citati indicat, quisnam, quando et quid inscribere debeat.

1. Inscribere debent parochus eiusve vices gerens, atque quidem parochus loci seu paroeciae, in qua matrimonium contractum est. Itaque obligatio non incumbit Ordinario, qui matrimonio asstitit, neque parocho proprio, qui in alius paroecia nuptiis subditi interfuit, neque alii, qui ad assistendum delegatus fuit. Ex eo autem quod verba Ritualis *manu sua* [1]) in lege non reperiuntur, deducendum videtur, ea pro regula directiva potius quam praeceptiva habenda esse. Regula directiva tamen maxime commendatur. [2])

2. Inscriptio fieri debet *quamprimum*, [3]) i. e., ut vox illa intelligi consuevit, saltem intra tres dies. Praestat tamen, eam fieri eodem die, immo immediate post matrimonii celebrationem vel missam subsecutam.

3. Inscribi debent nomina atque agnomina coniugum et testium, locus, paroecia, annus, mensis et dies matrimonii, nomen parochi vel alius qui astitit, et alia secundum for-

[1]) Tit. VII, c. 2. n. 6 haec habet: „Peractis omnibus, Parochus *manu sua* describat in libro matrimoniorum nomina coniugum, et testium, et alia iuxta formulam praescriptam; idque, licet alius sacerdos, vel a se, vel ab Ordinario delegatus, Matrimonium celebraverit."

[2]) S. C. de Sacr. 12 Mart. 1910, ad IX Episcopo Mangalorensi, qui postulabat facultatem permittendi, ut matrimonium a delegato describeretur, respondit: „Pro gratia prudenti et conscientiae Episcopi"; quae utique momentum regulae directivae significant.

[3]) Haec vox substituta est voci *statim*, quae in Decreto *Ne temere* occurrebat.

mulam a Rit. Rom. [1]) vel a proprio Ordinario assignatam. Iuvat quoque postea notare convalidationem vel solutionem matrimonii, si forte locum habuerint. Denique expedit annum et diem conscribere non signis arithmeticis, sed integris verbis, ut plures codices civiles statuunt. [2]) Inscriptio autem fieri debet in *libro* matrimoniorum, non in foliis separatis.

4. Denique quod spectat ad gravitatem obligationis, obligatio *inscribendi* matrimonia, atque quidem in *libro*, gravis est, ita ut sola physica vel moralis impossibilitas ab ea excuset, ut si parochus in casu particulari verum nomen coniugati scire nequeat. [3]) Hinc graviter quoque peccaret parochus, qui gravi periculo inscriptionem praetermittendi se exponeret. Obligatio perficiendi eam *quamprimum* per se levis est, ita ut, excluso periculo illam omittendi, etiam longior dilatio gravem culpam non videatur involvere.

II. **Inscriptio in libro baptizatorum.** Finis huius legis est, ut facilius detegantur matrimonia a nupturientibus antea forte contracta, atque inde sequens impedimentum ligaminis et affinitatis. Annotatis enim matrimoniis in baptizatorum libris, persona olim coniugata nequibit afferre testimonium baptismi, quin simul afferat testimonium sui olim contracti matrimonii, saltem, si afferatur extractum e baptizatornm libro quod est recentis datae (p. 27). [4]) Inscriptio autem in libro baptizatorum ita fiat:

1. Si uterque vel alteruter coniugum baptizatus fuerit *in eadem paroecia*, in qua nuptiae ineuntur, in margine loci, ubi baptismus notatus est, inseratur, illum vel illam in hac paroecia tali anno, mense et die matrimonium contraxisse, additis nominibus, cognominibus et aetate compartis, cum qua nuptias iniit, item nominibus et cognominibus tam parentum compartis quam testium matrimonii. [5]) Sufficeret

[1]) Tit. X, cap. 5.
[2]) *Besson* in Nouv. Rev. théol. 1908, p. 157; *Van den Acker*, p. 90.
[3]) S. C. de Sacr. ad Episc. Rosensem, 12 Mart. 1910, ad IX.
[4]) *Van de Burgt-Schaepman*, n. 237.
[5]) Instr. S. C. de Sacr. (II) 6 Mart. 1911. Neque Decretum *Ne temere* neque Codex diserte designat ea, quae secundum Instr. citatam in libro baptizatorum annotanda ideoque ad parochum baptismi deferenda sunt. Hinc, spectato can. 6, 6°, alicui videri potest, plura posse praetermitti. Verum illa Instr. quae edita est, „ut quae n. IX, § 2 memorati

quoque in margine loci, ubi Baptismus notatus est, addere: Matrimonium contraxit cum N.N. Cfr. librum matrimoniorum.[1])

2. Si uterque vel alteruter coniugum *alibi* baptizatus est: [2])

a) Parochus matrimonii sive per se sive per curiam episcopalem (propriam aut parochi qui baptizavit) matrimonium contractum denuntiabit parocho (vel parochis) tam baptismi sponsi quam baptismi sponsae. Ea autem denuntiatio „coniugum eorumque parentum nomina et agnomina descripta secum ferat, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adiecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurate indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi coniugum, et ea quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent. [3]) Praeterea parochus denuntians laudabiliter rogabit, ut de denuntiatione accepta certior reddatur.

b) Parochus Baptismi, ad quem denuntiatio transmissa est, omnia accurate in libro baptizatorum inserat; atque „ si forte accidat, ut . . . . baptismi parochus in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit parocho attentati matrimonii". [4])

„ Observes, si matrimonium mixtum fuerit, de sola parte catholica curandum esse ut matrimonium in libro baptismorum inscribatur.

„ Si locus baptismi ignoretur, exploretur saltem dioecesis in qua baptismum collatum esse vel resciscatur, vel ex nativitate aut aliis adiunctis rationabiliter praesumatur. Ordinarius istius dioecesis, de matrimonio certior factus, poterit

---

Decreti *(Ne temere)* praescripta sunt rite serventur", illa Instr., inquam, probabiliter habenda pro determinativa legis exsistentis potius quam pro nova lege. Hinc censemus, eam persistere, spectatis can. 6, 4° et 23.

[1]) *Vermeersch*, n. 134.

[2]) „Vel si liber baptizatorum ab alio parocho asservatur, v. g. a parocho ecclesiae matricis ob dismembrationem paroeciae" (*Van de Burgt-Schaepman*, n. 237).

[3]) Instr. cit. S. C. de Sacr. (II).

[4]) Instr. cit. S. C. de Sacr. (III).

tunc inquisitionem perficere, et curare ut in tabulas baptismales matrimonium referatur." [1])

Ceterum inscriptio matrimoniorum in libro baptizatorum, item lex curandi, ut inscriptio a parocho baptismi fieri possit, non est consilii tantum sed praecepti eiusque gravis, ut colligitur tam ex fine legis gravi quam ex Instr. cit. [2])

III. **Inscriptio matrimonii contracti in forma extraordinaria.** Matrimonia contracta ad normam can. 1098 (p. 37) pariter in libro tam matrimoniorum quam baptizatorum annotari debent. Porro:

1. *Sacerdos*, si matrimonio astiterit, tenetur in solidum cum *contrahentibus* curare, ut debitae inscriptiones fiant. Eodem modo tenentur *testes* cum *contrahentibus*, si soli testes matrimonio interfuerint.

2. Ut obligationi satisfiat, matrimonium modo supra exposito denuntiari debet: 1° parocho loci, in quo matrimonium contractum est; secundum alios parocho, qui regulariter in casu ordinario assistere debuisset, i. e. parocho domicilii utriusque sponsi aut domicilii sponsae; [3]) 2° parocho baptismi coniugum.

Si matrimonium contrahatur in loco, ubi nulla est paroecia vel quasi-paroecia, denuntiatio fiat Ordinario loci. [4])

Nota. Si lex sigilli sacramentalis prohibeat, quominus matrimonium in publicis matrimoniorum et baptizatorum libris annotetur, et bonum prolis legitimatae exigat, ut in foro externo probari possit, matrimonium cum consensu eorum, quorum interest, inscribatur ut matrimonia conscientiae; [5]) de quibus nunc dicendum.

IV. **Inscriptio matrimonii conscientiae.** Matrimonium conscientiae non est adnotandum in consueto matrimoniorum

---

[1]) *Vermeersch*, n. 81.
[2]) Instr. (IV). haec habet: „Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose serventur, et transgressores, si quos invenerint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicis poenis."
[3]) *Choupin*, n. 73, nota 2; *Van den Acker*, p. 95.
[4]) *Vermeersch*, n. 83.
[5]) *Van den Acker*, p. 95.

ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro servando in secreto Curiae archivo (can. 1107). [1])

FORMULA DENUNTIANDI INITUM MATRIMONIUM. [2])

Reverende Domine, — Ego infrascriptus N.N., parochus ecclesiae N. in loco N., Dioecesis Ruraemundensis, Tibi notum facio in paroecia mea, die . . . mensis . . . anni . . . matrimonium rite contractum fuisse

inter

N.N. filium N.N. et N.N., natum in paroecia N. loci N., Dioecesis N., die . . . mensis . . . anni . . . et

N.N. filiam N.N. et N.N., natam in paroecia N. loci N., Dioecesis N., die . . . mensis . . . anni . . .

Testes fuerunt N.N. et NN.

Datum . . . die . . . mensis . . . anni . . .

Locus parochialis sigilli. *Subscriptio parochi.*

---

[1]) Denique quod attinet ad probationem et annotationem aliquorum matrimoniorum, refero haec ex *Act. Ap. Sedis* (1911, p. 103): „Emus Patriarcha Venetiarum S. C. de disciplina Sacramentorum sequens proposuit dubium: An et quibus in casibus quibusque sub conditionibus admitti valeat tamquam sufficiens probatio initi matrimonii simplex affirmatio eorum qui ex America aliisve dissitis regionibus adveniunt, quotiescumque documentum vel alia legitima probatio celebrationis matrimonii, aut omnino haberi nequeat, aut nonnisi admodum difficulter et post longum tempus, cum interea rerum adiuncta moram inquisitionis non patiantur. — Cui dubio Emi ac Revmi Patres in plenariis Comitiis habitis die 17 Februarii 1911, re mature perpensa, respondendum censuerunt: Imprimis curandum diligentissime est, ut factum contracti matrimonii legitimis probationibus ostendatur: quae probationes, licet studiose quaesitae, si haberi nequeant, deferatur partibus iuramentum quo propriam assertionem confirment: hoc praestito, partes habeantur tamquam legitimo matrimonio coniunctae, earumque proles ut legitima. Excipiendi tamen sunt casus in quibus ius plenam probationem requirit ex. gr. si agatur de praeiudicio alterius matrimonii vel de ordinibus suscipiendis. Matrimonium autem per iuramentum ut supra confirmatum inscribatur non quidem in communi matrimoniorum libro, sed in distincto libello ad hoc destinato" (*S. C. de Sacr.* 6 Mart. 1911).

[2]) Cfr. „Analecta voor het bisdom Roermond", 1916, p. 146.

APPENDICULA.

De ratione, qua forma matrimonii, ante decretum „Ne temere" statuta, in Neerlandia eiusque Coloniis vigebat.

Quae respiciunt hanc materiam, quam concivium gratia succincte perstringere lubet, ad haec capita reduci possunt.

I. Ius Tridentinum saltem ratione diuturnae observantiae astringebat omnes *catholicos* quoad omnes Neerlandiae paroecias, ita ut omnia matrimonia *catholicorum inter se*, contracta sine parocho et testibus, invalida essent. Consentiunt quotquot theologi et canonistae Neerlandici hanc quaestionem pertractant.

II. Ius Tridentinum multis in tractibus atque locis Neerlandiae non astringebat *haereticos*, ita ut in istis locis ac tractibus matrimonia *haereticorum inter se et mixta* valida essent, etiamsi forma Tridentina non fuisset servata. Porro documenta ecclesiastica ex quibus praedicta loca determinari debent, sunt:

1. Declaratio d. 4 Nov. 1741 a Benedicto XIV edita [1]); quae declaratio incipit „Matrimonio" atque declarat et statuit: *a*) valida esse matrimonia clandestina (contracta atque contrahenda) tam *haereticorum inter se* (§ 2) quam *mixta* (§ 3) in locis subiectis dominio Foederatorum Ordinum Hollandiae; *b*) idem valere pro matrimoniis clandestinis *haereticorum inter se et mixtis*, quae extra fines dominii Foederatorum Ordinum contrahuntur, modo utraque pars pertineat ad legiones seu militares copias, quae a Foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas „de barrière"; hanc autem declarationem etiam complecti civitatem Mosae-Traiectensis, a Foederatis Ordinibus solum oppignorationis nomine, non iure dominii possessam (§ 4).

[1]) *Bullar. Bened. XIV*, t. I, p. 178.

2. Constitutio *Singulari Nobis* [1]) a Benedicto XIV d. 9 Febr. 1749 prolata; in qua Constitutione S. Pontifex declarationem suam aliquatenus est interpretatus.

3. Concessiones postea a diversis SS. Pontificibus factae; quae quidem concessiones per modum extensionis ipsius „Declarationis Benedictinae" emissae, respiciunt loca quae post declarationem editam Hollandiae regno accesserunt scil. *Ducatum Cliviensem* (Pius VI, d. 19 Iun. 1793), civitatem *Traiectum ad Mosam* (Leo XII, d. 20 April. 1826 et d. 12 Aug. 1826), et praedictae civitatis *suburbium S. Petri* [2]) (Greg. XVI, d. 28 Febr. 1844).

III. Attentis documentis citatis, matrimonia clandestina tam *haereticorum inter se* quam *mixta* valida erant:

1. *In tota archidioecesi Ultraiectensi*, excepto fortassis *Wehl*, qui locus quidem *sub dominio* ducis Cliviensis, sed extra *ambitum* ducatus situs erat. Porro dubium est, num declaratio Pii VI (a. 1793) quae declarationem Benedictinam ad ducatum Cliviensem extendebat, respiceret solum loca *in eo* sita, an etiam *extra eum* sita, sed dominio ducis Cliviensis subiecta, ut de Hollandia dixerat Ben. XIV.

2. *In universa dioecesi Harlemensi.*

3. *In tota dioecesi Buscoducensi*, exceptis *Boekel, Deemen, Dennenburg, Deursen, Herpen, Huisseling, Overlangel, Ravensteyn, Reek, Schayk, Uden, Velp, Volkel, Zeeland* (quae ad Dominatum Ravensteniensem pertinebant), *Haren, Macharen, Megen, Teeffelen* (quae continebantur Comitatu Megensi), *Bokhoven, Gemert, Handel* (quae Dominis de Gemert subiecta erant), *Boxmeer* et pago *S. Antonii* (quae Comiti de 's Heerenberg suberant), *Luyksgestel* (quod continebatur Principatu Leodiensi), et fortasse *Oeffelt*, qui pagus, uti de *Wehl*

---

[1]) *Bullar. Bened. XIV*, t. VII, p. 28.

[2]) Attenta ipsa declaratione Benedictina, valida erant matrimonia *haereticorum inter se* et *mixta*, quae contrahebantur *Mosae-Traiecti* inter partes *utramque* pertinentes ad copias militares; at Leo XII d. 20 April. 1826 per S. Officium declarationem Benedictinam *extendit* ad *omnes incolas* Mosae-Traiecti, atque d. 12 Aug. 1826 declaravit, id etiam pro *contractis* matrimoniis valere. — Denique Greg. XVI d. 28 Febr. 1844 ad cautelam declarationem tam Benedictinam quam Leoninam extendit ad *suburbium S. Petri*, una cum sanatione quoad praeteritum. Cfr. *Mél. Théol.* sér. 3, p. 342 sq.

dictum est, subiectus quidem erat duci Cliviensi, sed probabiliter ipsius Ducatus *limitibus* non continebatur. Hinc dubitatur, num declaratio Pii VI de qua modo dixi, eum respexerit.

4. *In universa dioecesi Bredana.*

5. *In dioecesi Ruraemundensi hodierna* prout sequitur: Matrimonia clandestina *haereticorum inter se* et *mixta* valida erant:

a) In civitate *Mosae Traiecti* (ex privilegio Leonis XII, d. 20 April. 1826).

b) In suburbio *S. Petri* prope Mosae-Traiectum (saltem ex concessione ad cautelam Greg. XVI, d. 28 Febr. 1844).

c) In locis, quae tempore declarationis Benedictinae (d. 4 Nov. 1741) dominio Foederatorum Ordinum subiecta erant. Porro: *α*) Anno 1632 ad dominium Foederatorum Ordinum transiit comitatus *Vroenhof*, ad quem pertinebant pars urbis Mosae-Traiecti et pagus *Wilre* in hodierna dioecesi Ruraemundensi, atque pagi *Montenaken* et *Heukelum* in dioecesi Leodiensi [1]). — *β*) Anno 1661, die 26 Dec. per pactum Hagae-Comitum initum („partagetractaat") dominio Foederatorum Ordinum subiecta sunt loca, quae in ipso pacto ita referuntur atque enumerantur: „Dat ook meer hoogh-gemelte Heeren Staten Generaal in vollen vryen eygendom, superioriteyt, ende souverainiteyt zullen hebben, houden ende besitten, eeuwighlyck ende erffelyck voor haer ende hare Nakomelingen, uyt den voorgeschreven *Lande van Valckenburgh*, het *Casteel* ende de *Stadt van Valckenburgh*, ende voorts de Bancken, Heerlyckheden ende Dorpen van *Meersen*, *Houthem* (excepto conventu *S. Gerlachi* intra suos muros), *Haren* (Borgharen), *Geul*, *Ulestraten*, *Bunde*, *Amby*, *Iteren*, *Climmen*, *Hulsbergh*, *Schimmert*, *Eysden*, *Harkenrade*, *Ekel-rade* (Ekelrade quoad partem in praesenti pertinentem ad municipium St. Geertruide), *Beeck*, *Neerbeek* (hollandum Neerbeek), *Berch* (Berg prope Valkenburg), *Bemelen*, *Blyt* ende *Heerle*, alsoock den ordinarisen wegh van Heerle, loopende midden door de Jurisdictie ende over het Territoir van de heerlyckheydt van

[1]) *Habets*, Geschiedenis van het Bisdom Roermond, t. I, p. 57, t. II, p. 360.

Schaesbergh, ge-extendeert ter breete van een roede Lands van weder-zyde buyten den voorschreven wegh, (soo ende daer denselven geghenwoordigh loopt) sonder eenighe réserve ... uyt den *Lande van Daelhem* ... het *Casteel* ende de *Stadt* van *Daelhem* ende voorts de Bancken, Heerlijckheden ende (Dorpen) *Trembleur, Olne, Bombay, Fenneur, Cadier* (non *Keer,* quod pertinebat ad S. Antonii tribunal capituli S. Servatii) ende *Oest* met alle de Gehuchten, Ressorten, Jurisdictien ... uyt den *(Lande) 's-Hertogenrade* ... de Bancken, Heerlykheden ende Dorpen van *Gulpen, Marckgraten, Holset, Vylen,* ende *Vaels* met alle de Gehuchten, Ressorten, Jurisdictien...[1])". Ab Ordinibus praeterea occupatus est pagus *Elsloo* [2]). — *γ*) Anno 1715, d. 5 Nov. per pactum dictum „de barrière" dominio Foederatorum Ordinum subiecta sunt loca, quae iterum ipsum pactum ita enumerat: „Sa Majesté Impériale et Catholique cède à L. H. P. les Etats Généraux à perpétuité en pleine Souveraineté et propriété dans le Haut-Quartier de Geldres: la ville de *Venlo* avec sa banlieue et le Fort de *St. Michel;* de plus le Fort de Stevenswaart avec son Territoire ou Banlieu, comme aussi autant de terrain, qu'il faudra pour augmenter les Fortifications en deçà de la Meuse ... S. M. I. et C. cède de plus aux Etats Généraux l'Ammanie de *Montfort,* consistant [à l'exception des Villages *Swalmt* (Swalmen) et *Elmt* (Elmpt nunc pertinens ad Germaniam) qu'Elle se réserve] dans les petites Villes de *Nieuwstadt* et *d'Echt* avec les Villages suivants, savoir: *Ohe et Lack, Roosteren, Bracht* (Maasbracht), *Besel, Belfeld, Vlodrop, Postert* (Posterholt), *Berg* (Odiliënberg), *Lin* et *Montfort.*"[3])

d) In locis, quae anno 1793, d. 9 Iunii (quo quidem anno Pius VI declarationem Benedictinam ad *ducatum Cliviensem*

[1]) Cfr. *Lieuwe van Aitzema,* Saken van Staet en Oorlogh, t. IV, p. 794 sqq. Quae praeter relata in pacto enumerantur loca, ea Foederatorum Ordinum *dominio* non fuerunt subiecta, sed tantum iura *fiduciaria* in ea obtinuerunt. Adhuc observes, plura e locis relatis non pertinere ad dioecesim Ruraemundensem hodiernam.

[2]) *Habets,* o. c. t. I, p. 58; *Ernst,* Histoire du Limbourg, t. I, p. 54.

[3]) Cfr. *Electa iuris publici oder die vornehmsten Staatsaffaires von Europa,* a. 1716, t. 8, p. 806, sq.; *Nieuwe tegenwoordige staat en hedendaagsche historie der Nederlanden* door *W. A. Bachiene,* te Amsterdam, a. 1791, p. 1114, sq.; *Habets,* Geschiedenis van het Bisdom Roermond, t. II, p. 360.

extendit), ad praedictum ducatum pertinebant, quaeque, quatenus de locis in hodierna dioecesi Ruraemundensi sitis agitur, sunt: *Gennep*, *Ottersum* et *Heyen* [1]). Locus *Mook* ad ducatum Cliviensem quidem pertinebat, verum quum extra ducatus *ambitum* situs esset, de eo dubitatur, num extensio declarationis Benedictinae a Pio facta eum comprehenderit.

e) In tota dioecesi, casu quo uterque contrahens copiis militaribus ibidem in praesidiis exsistentibus erat addictus [2]). Id saltem valde probabile videtur [3]).

Denique — id quod integritatis causa notandum est — S. C. de Prop. Fide, d. 1 Iun. 1809 ad quaestionem, „num valida sint matrimonia quae Iansenistae in Hollandia coram Pseudo-pastoribus suis contrahunt inter se vel cum persona catholica", respondit, praedicta matrimonia esse dissimulanda seu pro validis habenda, atque Iansenistas conversos non esse inquietandos causa matrimonii bona fide contracti; tunc tantum ad S. Sedem esse recurrendum, quum in casu particulari specialia dubia occurrant.

Qua ratione lex Tridentina in nostris Indiis vigebat?

1. In *India Orientali* non vigebat lex, sive quia non publicata, sive quia postea abrogata fuit [4]).

---

[1]) *Habets*, o. c. t. II, p. 360.

[2]) „Addicti copiis cogitantur milites, calones, lixae, uxores, liberi, servi, tabernarii militum, qui copias sequuntur, et qui Ducis imperio subsunt" (*Van de Burgt*, Tractatus de Matrimonio [2], n. 278).

[3]) Spectata declaratione Benedictina, valida erant matrimonia clandestina *haereticorum inter se* et *mixta*, quae extra fines dominii Foederatorum olim Ordinum contrahebantur, modo utraque pars pertineret ad militares copias, quae a Foederatis Ordinibus transmitti solebant ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas „de barrière" (p. 69). Iamvero „quum, inquit Van de Burgt, post annum 1815 dubitaretur de valore matrimoniorum mixtorum clandestine contractorum in Belgio inter personas pertinentes *utramque* ad copias quas in ea regione Rex habebat, an nempe haec praesidia aequiparanda essent civitatibus *de barrière*, per S. Off. d. 12 Aug. 1824 et d. 21 April. 1825 responsum fuit, pro *validis* esse habenda, quousque aliter a S. Sede non fuerit dispositum. Extra usum tamen hodie haec omnia sunt, quum neque civitates dictae *de barrière*, quae erant sitae in Belgio hodierno, neque alia in eo loca a milite Hollandico occupentur. Attamen responsa modo citata S. Off. videntur applicanda *copiis militaribus*, quae sunt in praesidiis in *Limburgo Hollandico*" (l. c.).

[4]) *Zitelli* (De dispens. matrim. p. 396) et alii ex quodam rescripto S. C. de Prop. Fid. a. 1823 tradunt, decretum *Tametsi* publicatum fuisse in urbe *Batavia*. Sed *Feye* (De imped. et dispens. matrim. [4] n. 333), accepta informatione Vicarii Ap. d. 17 Ian. 1890, scribit, nullum in ipso Vicariatu de eiusmodi rescripto vestigium reperiri.

2. Quod spectat ad *Indiam Occidentalem (Curaçao, Suriname* et reliquas nostras *Antillas)*, ad eam declaratio Benedictina a S. Off. d. 3 Mart. 1825 fuit extensa. Porro etiamsi. spectata illa extensione, admittatur, decretum *Tametsi* in istis regionibus tunc temporis quoad *catholicos* viguisse, nihilo minus dubium est, num praedictum decretum etiam postea in vigore perstiterit. Etenim in Concilio coloniarum Angliae, Hollandiae et Daniae, anno 1854 habito, Ordinarii et Vicarii Apostolici censuerunt, matrimonia clandestina *haereticorum inter se* et *mixta* in praedictis regionibus valida esse, de valore vero matrimoniorum *catholicorum inter se* dubitarunt. [1]) Iam vero ad istas regiones pertinet colonia de *Suriname.* Quod spectat ad *Curaçao* auctores referunt, S. Off. a. 1851 declarasse, idque cum ibidem obliterata esset memoria et praxis formae Tridentinae, „ matrimonia clandestina hactenus contracta pro validis habenda, . . . in posterum vero contrahenda pariter pro validis esse habenda, donec ab Apostolica Sede aliter fuerit statutum [2])".

---

[1]) *Collect. Lac.*, t. VI, col. 1091. Patres Concilii statuerunt dubium S. Sedi subicere. Quod an fecerint et quid responderit S. Sedes, nullibi reperitur (*Feye*, o. c. p. 229, in nota).

[2]) Cfr. *Vlaming*, n. 481.

Acc: 5492

348.412.74
W57

Wouters, Ludovicus
AUTHOR

Forma Promissionis Celebrationis
TITLE

'74

Editio Quinta